lksverlag Weimar
WEIMAR

I

niversidad de Sevilla
Biblioteca

Sevilla

Spanien

le [struck through] de la comp.a de Jesus de se...

TRACTATVS DE EXPOSITIONE MYSTERIORVM MISSAE.

SACRI CANONIS MISSAE, *duplex expositio.*

TRACTATVS SANCTArum meditationum pro cordis in Deo constabilitione.

EXPOSITIO OFFICII *quod de superbenedicta Trinitate, in ipsius solemnitate, Romana cantat Ecclesia.*

Per Fratrem Franciscum Titelmannum Hassellensem, Ordinis fratrum Minorum, sanctarum scripturarum apud Louanienses Prælectorem.

PARISIIS,
Apud Viuantium Gaulterot, via Iacobæa, sub insigni D. Martini.
1550.

PRAEFATIO IN TRACTATVM SEQVENTEM

de expositione mysteriorum ac cæremoniarum, quæ in sanctißimo Missæ sacrificio, ex ordinatione sanctorum patrum obseruantur.

ANTE diem festum Pasche, sciens IESVS quia venit hora eius vt trãseat ex hoc mundo ad patrem, cùm dilexisset suos, volens quoque re ipsa testari, quòd in finem diligeret eos: imò nõ eos tantùm, sed omnes qui credituri erant per verbum eorum, vsque in consummationem sæculi cùm secundũ corporalem præsentiam iuxta patris ordinationem quã totius esset abscessurus à nobis, rediturus ad eum qui ad opus miserat illum preciosũm ac superadmirabile corporis sui & sanguinis sacramentum, nobis in testimonium æternæ dilectionis & memoriale sempiternum, testamento deposuit. Sciebat enim qui nouit figmentum nostrum, cordis no- *Ioan. 13.*

ſtri vanitatem, quàm ſimus faciles ab obliuionem cæleſtium beneficiorum: atque ob hoc, ne tantorum beneficiorum quæ nobis ipſe exhibuit homo factus, vlla vnquàm nos caperet obliuio, eiuſmodi nobis memoriale relinquere diſpoſuit, quod in nobis perpetuò ſui memoriam conſeruaret. Corpus illud dico ſanctiſſimum, & ſanguinem immaculatum: quæ de Virgine matre, ſpiritusſancti operatione aſſumpſit: vt qui erat verbum in principio, caro fieret in tempore: & qui ante tempora ſecularia Deus erat in ſinu patris, in plenitudine temporum, hora iſta nouiſſima homo fieret in vtero matris. Reliquit (inquam) nobis ſemetipſum iam impaſſibilem, vt paſſionis eius amaritudinem nunquam obliuiſceremur: ſeipſum iam viuentem, vt amariſſimæ mortis eius memoria nunquam excideret à cordibus. Denique ſecundum humanæ naturæ, pariter & diuinæ veritatem, vt in terris olim viſus & cum hominibus conuerſatus fuit: Ita ſub creaturarum ſuarum ſpecie (panis dico & vini) idem ipſe creator omnium permanere nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi teſtamento ſempiterno diſpoſuit: Vt ſua ipſius præſentia ſemper ſui memoriam nobis per ſingulos dies refricaret.

Ioan. 1.

Mat. vlt.

Quis enim vel volens possit obliuisci illius vitam laborissimam, quam in carne nobiscum annis triginta tribus peregit: passiones amarissimas, quas pro nostris peccatis in carne sua tenera libenter sustinuit: mortem ignominiosissimam, ad quam se pro nostra vita recuperanda animo volenti ex patris obedientia tradidit: cùm eum habet adhuc præsentem ante oculos, cúmque quotidie liceat cõtrectare manibus, atque etiam ore manducare, quẽ tanta credit sui grãtia pertulisse? Volens ergo sancta ecclesia per spiritum sanctum instructa, suo sponso & capiti Christo hac in parte respondére, ac facere (quantum esset in se) satis: ad hoc laborauit, vt in illo sanctissimo & verè summo sacrificio, in quo hæc sacrosancta consecrantur sacramenta (cui Missam patres ab antiquis diebus nomen indiderunt) iucundo ordine repræsentaret vniuersum humanitatis CHRISTI mysterium: Initium cõceptionis eius, & natiuitatis partum, & vitæ totius decursum, mortis quoque transitum, & subsequenté Resurrectionis, Ascensionísque gloriam: in summa, quæcunque de Christo veniunt memoranda fidelibus, ita congruis signis, & progressu tam ordinato, in vno hoc Missæ sacrificio sic repræ- *Missæ vocabulum.*

In Missæ cæremoniis Christi mysteria repræsentantur.

sentando, vt cuique cæremoniarum, vim signorum intelligentiá & eorum quæ geruntur ordinem tenenti, facillimum sit in hoc sacrificio, non solùm passionis, sed totius etiam vitæ CHRISTI deuotam facere cõmemorationem. Quapropter mihi visum fuit operæprecium: vt ad Dei gloriam, & sacerdotum simplicium atque etiam cæterorum Christi fidelium profectũ, hisce explicandis cæremoniis animum intenderem, perlectísque iis quæ à patribus super hac re descripta fuere, quàm potui ordinatissimè singula aptare curaui. In quo summam mihi curam hanc fuisse profiteor, vt ordine congruo ab ipso natiuitatis initio (hoc est ab introitu Dei in virginis thalamum) per cætera quæ sunt intermedia, ad Resurrectionem vsque & Ascensionem, sessionémque eius in dextera meditantium deuotionem perducerem. Si verò in nonnullis compererit quis diuersas non significationes ab aliis prioribus ponere: sciat, neque nos illis, neque illos nobis præiudicium facere. Quemadmodum enim in scripturis multiplex est & non vna tantùm intelligentia, licet à spiritusancto fuerint descriptæ: sic & in cæremonialibus signis, multò magis admittenda erit diuersa signorum explicatio, citra cu-

iuſquam præiudicium. Hoc enim ſemper iis qui in aliorum labores ingrediuntur eſt obſeruandum: vt ſi quid poſſint, & ipſi afferant ædificationis: quæ autem ab aliis plantata ſunt, aut ædificata à patribus, nulla ratione (modò bona) aut euellant aut deſtruant. Qui autem ex hiſce noſtris laboribus aliquem bonæ deuotionis fructum perſenſerit, Deo (cui omnis debetur) gloriam reddat: & venerandæ antiquitati, ex qua plurima deſumpſimus, habeat gratiam. Pro me autē nihil, niſi vt iniquitatibus meis propitietur Deus, & vitam bonam dignanter concedat: qui ſolus poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine, & cor hominis à ſua prauitate in rectitudinem inclinare. Qui viuit, regnat, & gloriatur in maieſtate ſua trinus & vnus in æterna ſæcula. Amen.

¶ Finit Præfatio.

DEO LAVS ET GLORIA.

INCIPIT TRACTATVS DE EXPOſitione myſteriorum, quæ in ſanctiſsimo Miſſæ ſacrificio ex ordinatione ſanctorum patrum geruntur.

De ſacerdotis ad Sacrarium ingreſſu.

CAPVT PRIMVM.

Sacerdos Chriſtum repræſentat.

IN PRIMIS ſacerdos à loco quietis ſuæ, ad operandum ſacri ritus myſterii accedẽs agnoſcat ſe Chriſti ſummi ſacerdotis noſtri gerere & repræſentare perſonam. Qui dum ſigno ſacro & terminato ad ſacrarium accedit, vt illic adornatus ſacerdotalibus indumentis, poſtmodũ in publicum prodeat: ſignificat, quemadmodũ veniente temporis plenitudine, quod à Patriarchis & Prophetis multò antè fuerat prænunciatum & expectatum, patris omnipotentis iuſſu, deſcendens de cælo (vbi in
Ioan. 1. ſinu patris quieſcebat) Deus de Deo, Dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus, ad

operandum ſalutis noſtræ myſteriũ ingreſſus fuerit in vteri virginalis thalamum, vbi indumentum carnis noſtræ aſſumeret, vnde & poſtmodum habitu nouitatis aſſumpto, habitúque factus vt homo, quando impletum eſt tempus Mariæ vt pareret, tanquam ſponſus proceſſit de thalamo. Quid autem intra ſacrarium agat, priuſquam ad proceſſionem deſcendamus videndum. *Phi.1.2.*

De amictu & alba.

CAPVT II.

PRIMVM omniũ, quòd amictum capiti ſuperponens, ipſum caput (quod eſt præcipuum) operit deſignat, quòd Chriſtus in vtero virginis, operante ſpiritusáncto, diuinitatem humanitate obtexit atque abſcondit. Quemadmodum enim caput eccleſiæ eſt Chriſtus: ita caput hominis Chriſti eſt, Deus, ipſáque deitas. Dum ſuum itaque caput ſacerdos velamento lineo, vili, fragili, atque infirmo, & tamen candido operit, recordetur quomodo verbum incarnatũ, ſub fragili carne, & tenerrima, ſed *1.Cor.11.*

eadem mundissima, se abscondit. Alba verò quam superinduit vestimentum longum & lineum, strictum & vndique clausum, significat Christi integerrimam & sacratissimam atque perfectissimã conuersationem, quam ab initio suæ conceptionis vsque in finem in carne duxit. Sacerdos quoque dum hoc se indumento induit, acceptæ in baptismo nouæ & candidæ stolæ memor, seipsum admoneat, quomodo in sancta & candida cõuersatione persistat.

De Cingulo.

CAPVT III.

CINGVLVM, & ipsum lineum plerunque & candidum quo lumbos præcingit sacerdos: castitaté illam virgineam superminentem, quæ in Christo erat, clarè & congruè designat. Ipse quoq; sacerdos ex hoc intelligat, quomodo (iuxta saluatoris verbũ) lumbos debeat præcingere, atque ab omni carnis luxuria appetitum frenare. Quod autem albam succingit, alioqui nimium prolixam, illique in suo ministerio oneri futuram, accipi potest vt significetur, quòd Christus

Luc. 12.

ſuam altiſſimam & inſigniſſimam perfectiſſimámque conuerſationem iuxta noſtrę neceſſitatis exigentiam, ſuccinxerit, & noſtris ſe infirmitatibus accommodans, tanquam vnus aliquis de populo vitam ducens communem (iuxta Apoſtoli ſententiam) omnibus omnia factus fuerit, vt omnes ſuo exemplo doctos, quantum in ſe eſſet ſaluos faceret. Nam ſi ſemper in deſerto permanens perpetuæ cõtemplationi vacaſſet, quis nobis annunciaſſet Dei patris voluntatem? quis euangelicę vitæ exempla erat demonſtraturus ignorantiæ hominum? Itaque illam altiſſimam contemplationis vitam ac conuerſationem ſuccingens, noſtris ſe moribus ad agendum accommodauit, vt miniſterium ad quod miſſus fuerat à patre, poſſet expedite peragere. Et quemadmodum albæ quòd cingulo ſuccingitur, non minuit ſuam prolixitatem: ita Chriſti conuerſatio, manſit perfectiſſima, totáque conſummata, & abſolutiſſima, quanquam noſtri cauſa vſque adeò videretur abbreuiata & ita ſuccincta, vt etiam voratorem, & vini potatorem, ac ſeductorem animales aſſererent Iudæi, qui cinguli noſtri myſterium noluerunt intelligere.

1. Cor. 9.

Matt. 11.

De Manipulo.

CAPVT. IIII.

MAnipulum deinde adiicit brachio ſiniſtro, ſignificans, quemadmodum pro iuſticia Chriſtus ſemper ſtrenuiſſimè pugnauerit aduerſus tam viſibiles quàm inuiſibiles poteſtates. Quaſi enim clipeus ad deffenſionem illi ſua iuſticia erat, vt propter nullas tentationes, vnquàm à veritate voluiſſet diſcedere, qui in hoc, à patre miſſum ſe agnouerat, vt tam viuendo quà docendo, teſtimonium perhiberet veritati. Cui manipulo, adiectæ fimbriæ, finalem perſeuerantiam ſignificant, qua vſq; ad mortem, fidelis inuentus fuit. Quod & aliter accipi non inconuenienter poteſt, vt per ſiniſtram fragilitas infirmitatis humanæ accipiatur: in Chriſto enim humanato erat dextera omnipotens verbi diuinitas: erat & ſiniſtra, infirma humanitas. Verum ſiniſtra ligata ſignificat, quemadmodum per infirmitatis humanæ fragilitatem, nunquàm Chriſtus dominus in vllum ſiniſtrum, aut quamcunque maliciam, aut defectum peccati ceci-

Ioan. 18.

In Chriſto ſiniſtra & dextera.

derit, Ligabat enim & continebat ab omni peccato ſiniſtram dextera, id eſt, ſtabilierat diuina natura humanã, vt peccatum inullum facere poſſet.

De Stola.

CAPVT. V.

STola quæ ſuper amictum collo incumbit ſacerdotis, obedientiam ſignificat filii Dei, & ſeruitutem quam propter ſalutem mũdi voluntariè ſubiit. Quæ vſque *Philip. 2.*
ad pedes protéſa, perfectionem deſignat & perſeuerentiam, per quam vſque ad mortem in obedientia permanſit. Quod autem partes ſtolæ huius non ſinit recto curſu defluere, ſed ſuis manibus tranſuerſas in crucis modum ſuper pectus componit: illud eſt quod in agonis ſui grauiſſima lucta ad patrem loquens, dicebat. Non mea, ſed *Luc. 22.*
tua voluntas fiat, quódque crucem ex cordis ſui deſiderio volũtariè ſuſceperit ex obedientia patris, nulla neceſſitate coactus, iuxta quod de ſe dicit poteſtatem habeo ponendi animam meam, & ego pono eam à me ipſo. Atque iterum. Animam meam *Ioan. 10.*
pono pro ouibus meis.

De casula.

CAPVT VI.

Casula ecclesiam significat. POstremo loco casula, superinduitur, quæ sacerdotis magni vestimentum signat, ecclesiam sanctam, quam factus homo sibi coaptauit. Est autem causula, integra & vndiq; clausa. fimbriisq; simplicibus vt plurimum vndiquaque confirmata, vt veritatem integritatemq; veræ fidei demonstret, per quã fidé, ne rumpatur aut scindatur eius vnitas custoditur. Quæ enim ecclesiam in vnum cõponit, conseruat, atque confirmat in vno sensu eademq; sententia, recta fides est. Extentione autem manuũ sacerdotis, in duas partes, casula (licet integra & vna) diuiditur: quoniam per Christi passionem mediam, duæ partes Ecclesiæ in vnum coniunguntur. Pars enim anterior (quæ plerũque minor est in latitudine) ecclesiam quæ præcessit Christi passionem, ab Abel iusto incipientem designat. Pars autem posterior (quæ & latior est: & crucis signum apertè in se gerit) populum significat nouæ ecclesiæ, quæ post Christi passionem vndiquaque collecta est, quando in omnem *Psal. 18.*

terram exiuit prædicantiũ ſonus,& in omnes fines orbis terræ peruenit ſermo eorũ. Hic enim populus fidelis crucem in ſe portat,quoniam crucis myſterium & corde penitus intelligit, & per confeſſionem conſtanter geſtat in ore.

De aptatione Amictus ſuper Caſulam, & de particulis Albæ aſſutis.

CAPVT VII.

HVic Caſulæ ſuperponitur & coaptatur amictus, qui prius in ſacerdotis erat capite:ſignificans coniunctioné Chriſti cum eccleſia,ſicut capitis cũ ſuis membris.Nam Chriſti humanitas, totius eccleſiæ caput eſt & ornamentum, ac decus precipuum.Quòd etiam albæ indumentũ in inferioribus tam anteriori' quàm poſteriori partibus, atque in manuum extremitatibus, caſulæ in aſſutis particulis colore aſſimiliatur, intelligendum puto, quòd Chriſtus in conuerſatione exteriori propter eccleſiæ ſuæ vtilitatem, noſtris ſe infirmitatib⁹ accõmodauit, quodq; inter homines humanam conuerſationem Ephes. 1.

Alia sacerdotaliũ indumẽtorum significatio.

in omnibus quaſi vnus ex nobis duxerit, manente interim illæſa & candidiſſima animi ſui puritate. Recentiores autem nonnulli omnia hęc ſocerdotalia indumenta ad Chriſti paſſionem referunt: ſimplicius quidem, & minori antiquitatis authoritate, deuotè tamen, & ſatis commodè, maximè pro ſimpliciorum captu & intelligentia. Per amictum enim capitis, velum intelligunt, quo obligabant impii illuſores faciem Domini, quando colaphis eum cædentes dicebant.

Luc.22. Prophetiza CHRISTE, quis eſt qui te percuſſit? Per albam accipiunt veſtem illam colore albam, qua eum Herodes contemptibiliter induit, remittẽs ad Pilatum.

Luc.23.

Per manipulũ, vincula quibus vinctus adductus eſt ante ſacerdotes, & poſt modũ ad præſidem.

Luc.18. Per ſtolam, funes quibus alligatus fuit columnę, ad quam flagellatus fuit. Per caſulam, chlamydem coccineam, qua eum ad illuſionem induerunt, ſalutantes eum ac dicentes. Aue rex Iudæorum.

Lucæ.19.

Et hæc quidem de ſacerdotalibus indumentis breuiter dicta ſufficiant. Nunc proceſſionem ipſam proſequamur.

De an-

De Antiphona ad introitum.

CAPVT VIII.

INterim dum ſacerdos his ſe ornamentis induit in ſacrario, chorus egreſſurum expectās, excelſa voce antiphonam quæ ad introitum ſolet vocari, inchoat, & concorditer iunctis vocibus alachriterq́; omnes decantāt, ad deſignandum deſideria, expectationem, & clamores præcedentium Patriarcharū atq; propherarū, qui aduentū Chriſti ab initio mundi votis expectauerunt, geſtis pręfigurauerunt, dictis ſcriptisq́; prophetauerunt. Cuius anthiphonę repetitio, deſideriis, expectationiſq́; vehementiam explicat. interiectio verò verſiculi Gloria patri &c. Qui trinitatis facit mentionem, ita accipi poteſt, vt per hoc detur intelligi quò in eo quem expectabāt illi, plenitudo inhabitatura eſſet totius diuinitatis.

Antiphonæ ad introitū repetitio.

De proceßione ſacerdotis ad altare.

CAPVT IX.

DVm autem illi cantant, & in clamādo ſeſe exercitant, procedit expectatus ille, præcedētibus ceroferariis, ſubdiacono deinde atque diacono

ministris: illo quidé euangelii codicem clau
sum, hoc autem subiiciendum puluillũ de-
ferente. Post quos sacerdos solus nihil prę-
ter seipsum adferens, ante altare se exhibet:
significans nimirũ, carne humana indutum
Christũ dominũ, sub cuius persona in Psal-
Psal. 39. mô dictũ legimus. Holocaustomata & pro
peccato non postulasti: tunc dixi, ecce ve-
nio. In hunc enim mundum pro salute hu-
Hebr. 9. mani generis aduenićs, nõ in irrationalibus
hostiis, veteres illi vt sacerdotes, nec in alie
no sanguine: sed per semetipsum Deũ patré
placaturus accedit, seipsum in hostiá viuété
sanctam, & rationabilem oblaturus patri:
ideoq́; pręter seipsum nihil ad altare adfer
re cõsueuit sacerdos, manibus ad supplica-
tionis modũ pariter cõpositis. quibus, spiri-
tus cõtribulati, cordisq́; humilitati & cõtriti
pro peccatis nostris sacrificium (quod esse
Psal. 50. Deo acceptũ Psalmista testatur) se declarat
offerre. Quá humilitaté, ipso statim initio
Rom. 8. idé sacerdos declarat, dũ corá altari se hu-
mili cõfessione palá omnibus accusat, quo-
2. Cor. 5. niá in similitudiné carnis peccati saluator
apparens, qui peccatũ propriũ nõ habebat,
omniũ in se peccata assumpsit, vt pro om-
nibus mortem patiens, satisfaceret patri.

Quid significet luminarium accensio.

CAPVT X

PRæcedunt flammantes cereoli, quos gestant cádidis indutilineis vestibus ceroferarii, aut vt minimum ad altare ingrediéte sacerdote cerei accenduntur, in signum gaudii quod in ortu saluatoris omni mundo effulsit, de quo angelus ad pastores Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus domin⁹. Procedente autem sacerdote, quòd omnis populus in genua se velociter prosternit, ad memoriam nobis reducit pastorum simplicem humilitatem: qui audito noui gaudii nuncio, festinantes ad præsepe, adorauerũt Christum saluatorem mundi, Itemq; magnam illam magorum fidem, quos stella nouæ lucis, ad nouum virginis partum, ex lõginquis partibus adduxit adorandum, cum muneribus.

Lucæ.2.

Mat.2.

Quid Diaconi atque Subdiaconi significet ordinata præceßio.

CAPVT XI.

PRæcedunt miniſtri duo, non quidem ſimul, neque à latere, ſed prior ſubdiaconus, poſterior diaconus, ſignificantes legem & euangelium, quæ humanæ ſalutis ambo miniſteria, iuxta ordinatiſſimam diſtributionem temporum idem ſaluator in hunc mundum inuexit. Quorum lex prior tempore, ſed minor dignitate contra euangelium, tempore quidem poſterius, ſed dignitate maius exiſtit. Item tamen Dominus, qui populo minori olim legem in ſalutis miniſterium dederat, quem timore adhuc alligari oportebat, ipſe poſtmodum euangelii gratiam eccleſiæ nouæ, pro temporum ratione adduxit. Subdiaconus quoque præfert textum euangelii, quia profectò lex teſtimonia continet de Chriſto: ipſe eſt enim quem prædixit Moyſes quiquúe prænũciatus fuit ab initio à lege & prophetis, iuxta quod ad Nathanaelem Philippus apud Ioannem loquitur. Quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetis inuenimus Ieſum filium Io-

Auguſt. de ſermone domini in monte.

Ioan. 1.

ſeph à Nazareth. Et ipſe Saluator Iudæis ait. Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit. Portat verò clauſum, quia videlicet antequã agn⁹ occiſus aperuiſſet ſignacula, clauſum erat in libro legis, ſacramẽtum eius paſsionis. Diaconus verò puluilum ad ſubiiciendũ Euãgelio ad pectus ſuum deferens, cor mite & manſuetum ſpiritum, Euangelio deberi, ad ipſius vera dignè ſuſcipienda atque ſeruanda, demonſtrat.

Ioan.6.

Apoc.5.

De oſculo altaris in medio.

CAPVT XII.

FActa autẽ confeſsione ſtatim comitantibus miniſtris ad altare accedẽs, ipſum, in medio deoſculatur: illud videlicet demõſtrans oſculũ, quo ſpõſam ſuã Eccleſiam oſculatus eſt ſpõſus de cœlo veniẽs, oſculo oris ſui humanè ſeipſum coaptãs cõueniẽſque naturæ. In altari enim (quod ex lapidibus multis vndequaq; collectis & cemento cõpactis cõſtat) tota fideliũ populorũ Eccleſia, quæ ex viuis fide lapidibus, ꝑ charitatis glutinũ cõpaginata eſt aptè intelligitur. Quã de cœlo veniẽs Dei fili⁹, in medio oſculatur, dum ex vtriſque populis in

Canti.1.

Ephe.2.

Ephe.2. pacem (inimicis interfectis) conciliatis, Iudæorum videlicet & gentium, vnam sibi ex vtrisque cõgregauit ecclesiam. Sic enim sancti Patres tradũt, in dextra altaris iudæorũ populum, in sinistra, gentiliũ rectè intelligi Ob quod etiã missæ sacrificiũ astruunt in dextera inchoari, & in eadẽ finiri, in sinistra tamen precipuã partem geri ac perfici.

Ioan.4. Quoniam (vt saluator attestatur) salus ex Iudæis orta est, qui dum seipsos indignos fecerunt euangelio, ad gentes euangelica prædicatio translata fuit, vbi puluinar A-

Actu.13. postolorum euangelizatio reperiens (id est corda gentilium mitia & credula) fructum fecit & fructificat abundantius. Cum tamẽ plenitudo gentium intrauerit, reliquiæ Israël saluæ fiet, & fiet vnum ex vtrisq; ouile, & vnus vtriusque populi pastor. Quoties

Rom. 11. ergo sanctum altare sacerdos deosculatur:

Ioan. 10. illud semper amoris meditetur dulcissimũ osculum, in quo ecclesiam suam Dei filius de cœlo veniens, sibi mira vnione mirabiliter copulauit.

De incenso & Kyrie eleeson.

CAPVT XIII.

POst hæc thuribulum accipiens & manu tenẽs accepto incenso adolet super

altare. Per quod significatur omnes Ecclesiæ preces omnésque orationes & supplicationes per eum vt verum sacerdotem diuinitati præsentari, & in odorem suauitatis gratias fieri, atq; exaudiri. Ob quod etiam Kyrie eleeson interim chorus nouies decantat, singulis videlicet personis in trinitate trinis vicibus perfecta obsecratione supplicans pro impetranda misericordia, in quo omnis orationis perfectio designata est. Quod enim Kyrie eleeson choro decantāte, sacerdos ante altare incésum adolet, significat omnes Ecclesiæ preces per illum Deo exaudibiles fieri, qui stans iuxta altare (sicut in Apocalypsi in angelo præfiguratum legimus) thuribulum aureum in manu tenet, quia in conspectu Ecclesiæ se demonstrans Dei filius, sanctissimum immaculatum & virgineum corpus assumpsit, quod tunc igne impletum est, quando spiritus sancti septiformis gratia, non ad mésuram super ipsum requieuit. Ipse verò Ecclesiæ & membrorum eius orationes, vera sunt incésa de quibus dicitur. Data sunt incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum ante altare aureum quod est ante thronum Dei.

Kyrie eleeson cur nouies decantetur.

Apoc. 8.

Apoc. 8.

De Gloria in excelsis.

CAPVT XIIII.

Lucæ 20. MOx sequitur hymnus Gloria in excelsis, quem ab ore angelorum sancta Ecclesia rapuit: estque angelorum pariter & hominum, propter quod à sacerdote cum vocis modulatione inchoatur, sed à Choro ex eius ore raptus prolixius decantatur, quoniam videlicet quod in cœlo Angeli nocte dominicæ natiuitatis cantabant, ad salutẽ sibi prouenire scientes homines, quotidie gaudentes replicãt. Quod etiam voce nondum exercitata, plærũque sub quadam vocis teneritudine modestius & submissius canitur huius cantici principium, non incongruè nobis primam illam in præsepi iacentis Christi incarnati suauissimam vocem, id est, puerilem vagitum, significare potest. Quam statim vbi mundus agnouit, in gaudium admirabile subitò erumpens, pro gratiarum actione clamare non desinit, quemadmodum de pastoribus pro omnium exẽplo legimus, quod reuersi sunt cum gaudio, glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant. Hic enim pueri Iesu vagitus tametsi pueri iacentis absumptam testaretur infirmitatem atque miseriam, nobis tamen plus

Lucæ.2.

ille vagitus attulit veri ac solidi gaudii, & canticum multò iucundius, quàm visus vnquam potuit risus. Vnde & pastoribus ad sui gaudii magnitudinem, expressum illud fuit in nuncio, quòd puerulũ essent in presepio reperturi vagientem. Quod ergo sacerdotis modestę & submissæ cãtioni, Chorus festiuissimis & ex corde deprõptis respondet vocibus, omnes in hoc cantico decantando vocis venas ac neruos potissimũ extendens, significat Christi vagientis ploratum, nobis cumulatissima attulisse gaudia. Cuius etiam gaudii causa, tempore luctus ab Ecclesia non canitur, ne ipsa quidem festiuitate diei dominicæ.

De Collecta.

CAPVT XV.

QVæ post hæc sequuntur orationes à sacerdote, salutatione præmissa p quam attenti fiant auditores, ad repræsentandum Domini nostri orationes dicuntur, cuius tota vita continua pro nobis & perpetua oratio fuit, quę & designatur in Apocalypsi per fumum aromatũ, ascẽdentem de manu angeli, ante cõspectũ Dei. *Apoc. 8.* Homo namque verus passioni propter nos

destinatus, semper vnitum sibi verbum pro
Hebr. 5. nobis oraui t,patremque & spiritum sanctũ.
Et (vt ait Apostolus) in diebus carnis suæ
preces supplicationésque ad Dominũ offerens,exauditus est ꝓ sua reuerẽtia.Quod
verò in fine orationis subiungit.Per domi-
1.Tim.2. num, eo respectu fit,quòd dominus noster
Iesus Christus mediator est Dei & hominum, per quem , sicut omnis nobis à patris
plenitudine bona decurrũt, ita nos per cũdem omnem patri referimus gloriam.

De nomine collectæ & responsione Amen.

CAPVT XVI.

NOmen autem collectæ idcirco sacerdotali orationi attribuitur, quoniam
sacerdos qui fungitur legatione ad dominum pro populo petitiones omnium in ea
colligit,& concludit, vel quoniam omnes
astantes se debent illo potissimùm tempore in vnum(cunctis abiectis mentis euagationibus)colligere,vt simul cum sacerdote
mentem eleuantes,idem à Deo petãt,quod
ille omniũ nomine palàm à Deo postulat,
ad quod etiam salutationem solet præmittere,per quam attentos reddat,& collectio
nis huius admoneat.Vnde cõsuetudinis est
vt cum collecta canitur,potissimùm preci-

pua genua flectat chorus, vel inclinet cum reuerētia & humilitate prius erectum corpus, animi videlicet humilitatem, ipso corporis habitu designans. Chorus autem qui totius populi locum tenet concordi voce respondet Amen, quo se sacerdotis postulationibus consentire annuunt, tanquàm si dicant. Idipsum & nos petimus, fiat vt tu omnium nostrum nomine petisti. *Amen quid sibi velit.*

Quare in numero impari orationes legi soleant.

CAPVT XVII.

OBseruatur autem à plurimis religiosè & diligenter, vt in numero semp impari collecta legant, ratione mysterii, vel vnam propter vnitatem diuinitatis, vel tres, propter personarum honorandam Trinitatem, vel quinque propter quinque Iesu Christi plagas venerandas, aut septem propter septiformé spiritussancti gratiam, siue propter septem verba quæ in cruce Iesus nouissima protulit. Numerū autem parem fugimus propter diuisionem quæ ab ipso habet initium. Deus auté oēm diuisionem atque discordiam detestatur. 1.Cor.14
Binarius enim, primus ab vnitate recedit, à quo cæteri numeri diuisibiles sortiuntur

originem, ipſum intra ſe includentes. Ipſo igitur myſterio numero ſignificamus, omnem diuiſionem à nobis abeſſe debere, & vnitati omnes ſtudere, qui velint eccleſiaſtici ſacrificii eſſe participes. Innocétius autem tertius, in lib. quem ſuper officio Miſſę eleganter & copioſè conſcripſit, ſeptenariũ numerum dicit ſacerdotes excedere non

Matth. 6 debere, quãdoquidem Chriſtus in oratione quam ſuos edocuit, ſeptem petitionibus omnia neceſſaria corporis & animæ compræhendit.

De ſeptem ſalutationibus ſacerdotis ad populum.

CAPVT. XVIII.

Septem autem vicibus populus in Miſſa ſalutatur, vt excluſis ſeptem vitiis capitalibus gratiã ſpirituſſancti ſeptiformẽ mereatur accipere. Semper autem ſalutando ſe vertit ad populum præterquàm ante pręfationem, quando orationi totus intẽtus ſurſum cor erigit ad dominũ, priuſquàm hortetur cæteros dicẽdo: Surſum corda. Et ante pacis oſculum, quando in fractionis articulo occupatus, Euchariſtiæ peragit ſacramentum. Et quoniam ſeptenarius numerus perfectionem ſignat, quòd ſeptem vicibus

populũ ſalutat ſacerdos, ſignificare non incommodè poteſt perfectionem integerrimæ pacis, quam nobis ſaluator attulit. Huc vſque perdurat Miſſæ initium, quod dicitur introitus, commemorans nobis introitum ſaluatoris in hunc mundum, id eſt, à natiuitate eius vſque ad prædicationem Ioannis. *Miſſæ diuiſio.*

De Epiſtola.

CAPVT XIX.

EPiſtola quæ præmittitur Euangelio, ſiue præcedentis legis, ſiue Baptiſtæ præcurſoris deſignat officium, quod ante Chriſtum lex per pphetas, & poſtremò p Ioannis myſteriũ exercuit. Ad hoc enim & lex ab initio data fuit à Domino, & poſtremò præcurſor deſtinatus Baptiſta, vt venturo Domino viam pararent, & populum perfectum exhiberent Meſsiæ, poſt multam expectationem aduenienti, quemadmodum in ſcripturis ſanctis palàm conſpicimus per varia teſtimonia comprobatum. Quod autem præcurrens epiſtolæ lectio, ad Euangelium tranſmittit, ſignificat, quemadmodum vetus lex præcedẽs, & Ioannis præuia præ- *Galat. 4* *Lucæ .1.* *Matt. 11.*

dicatio ad Christum auditores suos pręparans, veniente domino ad Christum destinabat. Quòd lex quidem per scripturas earumq; multiplicia testimonia, quę de Christi aduentu testificātur, ab initio semp agebat, & nouissimè euidenter per Ioannis digitum demonstrantē peregit. Epistolæ itaq; lectio, est vox legis, suam in Ioanne imperfectionem profitentis, & ad euangelicam perfectionem, suos auditores transmittentis. Tantùm autē distat ab Euāgelio (quod in officio Missæ ex iis quæ legūtur est præcipuum) quantū seruus à domino suo, præco à iudice, legatus ab eo qui misit illum. Quapropter cùm legitur. Epistola, non iniuria sedemus. Cùm autem sanctum Euangelium audimus, demissis reuerenter aspectibus, erecti stamus, ad honoris reuerentiæ & obedientię promptitudinem demōstrandam. Quòd autē epistolæ lectio, neq; semper de veteri, neque semper de nouo sumitur testamēto, eo referri potest, quia Ioannes præcursor, partim ad legis tempus & Prophetarum attinebat, quatenus Christū priusquàm veniret, cæterorum more prædixerat, Cuiusmodi est illud. Ego vox clamātis in deserto. Item, Veniet fortior me post me, cuius non sum dignus corrigiā calcea-

1. Ioan. 1. *Ioan. 1.*

menti ſoluere. Et item. Qui poſt me venit, ante me factus eſt. Partim verò ad nouę legis gratiam, quatenus quam prius prophetando vocis oraculo p̄dixerat, digito poſtmodùm demonſtrabat. Ecce (inquit) agnus dei, qui tollit peccata mūdi. Hic eſt de quo dicebam vobis, & alia eiuſmodi multa, quę teſtificabatur de filio Dei.

De deſcenſu ſacerdotis ab altari ad locum presbyterii.

CAPUT XX.

POſt finitas autem collectas, ſubdiacono incipiente ſacram lectionem recitare, deſcendit ſacerdos ab altari, ad presbyterii locum, vt illic audiat recitãtis ſubdiaconi lectioné, humilitatem in hoc inſinuãs Chriſti ſaluatoris, cuius vicé gerit, & pſoná repræſentat, qui Ioanne prædicãte, & popu lum per baptiſmale lauacrum præparãte, in aduẽtũ illius qui vẽturus eſſet, tãquàm vnus è populo & ipſe deſcẽdẽs à Nazareth Galilęæ, cõmorantem in deſerto Ioannem acceſsit vt audiret prędicantem & baptizaretur ab eo in Iordanis flumine. Poſt quod baptiſma (adimpleta p talé humilitaté omni iuſtitia) ductus à ſpiritu agebatur in deſerto quadraginta diebus & noctib⁹, nihil

Act. 9. *Marci. 1.* *Matth. 3.* *Lucæ. 4.* *Marci. 1.*

comedens,neque bibens,neque vlla huma na vtens couersatione. Quæ Christi in deserto abscōsio in eo designatur, quòd Choro cantante Graduale & canticum Halleluya,solitarius ac taciturnꝰ interim in loco presbyterii altari relicto residet meditabūdus. Ad quem,cùm suis peractis rebus,tandem ministri diaconus atque subdiaconus redeunt, illud significãtur, quòd consum-
Lucæ.4. mata omni tentatione, angeli accesserunt ministrantes ei.

De Graduali.

CAPVT XXI.

Post epistolæ lectionem, sequitur cantus asper & grauis, quem graduale voca-
Lucæ.3. mus:quoniam Ioannis prædicatiōe ad pœnitentiæ lamenta pro peccatorū remissione
Matth.3. assequenda populus accessit.Sic enim legimus, quòd publicani & peccatores compuncti prædicatione Ioannis confitebantur peccata sua,& abluebãtur baptismo Ioannis in pœnitentiam. Conuenit autẽ tam ipsa nominis quàm cantus ratio, cum lamẽto pœnitentiæ. Cantus enim asper & grauis est, ita vt modulatis & excellẽtibus vocibus ipsum efferre,nec vsus habeat, neque decus permittat. Signat enim,non iam remunera

muneratorum gaudium, ſed laborem & difficultatem adhuc operantium. Propter quod, diebus Paſchalibus vſque ad Pentecoſten de officio tollitur, quod tẽpus futuri illius beati ſæculi ſtatum deſignat. Vnde rectius faciunt, qui graduale nõ feſtiuis aut modulatis vocibus efferunt, ſed quaſi cantum grauem & aſperum, ſimpliciter potius & lamentabiliter canũt. Quod ad nominis verò rationem, dicitur graduale, à gradibus humilitatis, vtpote illi conueniens, qui necdum aſcendit de virtute in virtntem, neque ad hoc peruenit, vt videat Deum deorum in Sion, ſed in cõualle lachrymarum poſitus: aſcenſiones tamen in corde diſpoſuit, *Pſal. 83.* Adhanc autem pœnitentis imperfectionẽ deſignandam, is cuius eſt graduale canere, ad gradum inferiori loco ſtare conſueuit, eo quia halleluia ſubſequens eſt decantaturus, ſuperius conſtituto, & deſuper ad cantandum veniente. Vel graduale dicitur, quòd à verſu priori ad ſecundum, ordinato quodam proceſſu quaſi gradatim tam vocis modulatione quàm ſentẽtiæ verborum alacritate, ſcandit. Illud enim diligenter obſeruantibus faciiè patebit quòd fere ſemper ſecundus qui ſubſequitur gradualis verſiculus, tam verborum forma,

Initia vitæ melioris dura, proceſſus leuior.

quàm vocis modulatione, aliquanto aſcendit feſtiuior, & voce magis eleuata ſcandere ſolet, vt ſignificetur, quòd in pœnitentiæ lamento, incipientibus quidẽ aſperitas & amaritudo exoritur, ſed vbi paulùm perſeuerauerint, pœnitentiæ iugum leuius ferent: & quod prius cum graui dolore vix poterant incipientes, in profectu cõſtituti facilius iudicabunt.

De Halleluia.

CAPVT XXII.

Matth. 5. QVoniam autem lugentibus ex diuina voce eſt ſubſecutura cõſolatio, etiam ſi nonnulla in præſenti, potiſſima tamen & plena in futuræ beatitudinis ſtatu, inde eſt, quòd poſt carmen triſtitiæ canticum ſubſequitur nouæ lætitiæ poſt graduale, halleluia, quo vocabulo, illud æternum conuiuiũ angelorum ac beatarũ animarum, quod eſt ſemper laudare dominum ſignificatur. Nam halleluia Hebraicè laudate Dominũ noſcitur ſignificare. Quoniã autem plenitudinem illius gaudii & plenæ laudis hîc nõ datur experiri in valle conſtitutis miſeriæ, idcirco nõ interpretatũ. Hebraicũ nomen, remanſit, vt peregrinum ab hac vita gaudiũ peregrinũ vocabulum de-

Halleluia cur nõ interpretatũ permãſerit.

ſignaret, potius q̃ exprimeret. Plerunq; autem huius vocabuli ſyllabam præcipuè nouiſſimam longo notarũ tractu, & variis neumatum diſtinctionibus, feſtiuè & modulatè iubilando potius quàm cantando protrahimus, ſummopere nitentes illius beatæ & perfectæ laudis, quæ eſt in faucibus beatorum aſſequi imitationem: quod dum non poſſumus vt volumus, ſaltem vt poſſumus vel pſallẽdo ſectari conamur. Significat autem prolixa hæc protractio, ſubſequitur cõſolationis æternitatem, quæ nullo vnquàm erit fine claudenda, ſed in perpetuo iubilo perdurabit indeficiens. *Pſal.149.*

De Tractu.

CAPVT XXIII.

HAlleluia verò quoniam vox eſt lætitiæ, idcirco Paſchali tẽpore vſque ad Pentecoſten magis frequentari ſolet, quoniam tempus hoc illius eſt futuri ſæculi (vt prius diximus) repræſentatio. A ſeptuageſima verò vſque ad Paſcha, quoniam hi dies captiuitatis ſunt luctúſque, ac pœnitentiæ ſuſpendimus canticum lætitiæ, quemadmodum illi olim captiuitatis iugo oppreſſi, ſuſpenſis organis ad ſalices dicebant. Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena? Hoc enim tẽpore

Halleluia tẽpore lætitiæ frequẽtatur tempore pœnitentiæ omittitur.

Pſal.136.

memores nos esse vult sancta ecclesia peregrinationis nostræ, & captiuitatis, in qua præsens nos in vita miserabiliter detinet.
Psal. 119. Canitur autem loco eius Tractus cum asperitate vocis & prolixitate verborum, ac notarum grauitate, quibus miseriá vitæ præsentis insinuat. Tractum canebat Psalmista, cum diceret, Heu mihi, quia incolat⁹ meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea, & alias frequenter, suæ peregrinationis infœlicitatem deplorans.

Quod inter hæc cantica etiam in verbis magna est diuersitas.

CAPVT XXIIII.

NEque verò in his canticis diuersitas ex vocis tantùm est modulatione, sed maximè etiam ex parte verborum, quæ sub notis suis aut tristius aut lætius cantantur. Vnde graduale plerunque tale quid sumitur quod pœnitentiam sonet, illíque cōgruat. Halleluia autem, versiculum lætitiæ illius superuenturæ expressiuum continet. Tractus verò, plerunque incolatus præsentis statum ipsa quoque verborum substantia manifestat. Exempli gratia, dominica post octauam Epiphaniæ prima, graduale canitur, Misit Dominus verbum

ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum. Cui (iuxta ſupradicta) verſiculus lætior annectitur, qui eſt gratiarum actionis. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Sed quod de ſuperiori loco deſcendens cantor, altiori vocis modulatione Halleluia decantat, eiuſmodi connexum habet verſiculum. Laudate Deum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, quod æterni gloriam gaudii, angelicæque laudis iubilum apertè proponit. Item dominica ſecunda quæ ſubſequitur gradualis prima pars eſt iſta. Timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Subditur verſiculus. Quoniam ædificauit dominus ſion, & videbitur in maieſtate ſua. Poſt halleluia. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Ecce prima pars, timorem qui eſt incipientium proponit. Secunda ſpe futuræ viſionis, ex ædificationis ſpiritualis beneficio conſiderato, aliquanto aſſurgit altius, à timore quaſi gradu quodam, ad amorem. Halleluia verò, regnum Chriſti feliciter ſuſceptum, & vniuerſale ex hoc terræ gaudium, apertiſſimè explicat. Similiter & in ſanctorum

Pſal. 106.

Pſal. 101.

Pſal. 69.

Pſal. 33.

festiuitatibus est considerare. Sumamus de communi martyrum officio exempla. Graduale est. Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos, &c. Subditur versus. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, Item gradualia sunt. Vindica domine sanguinem sanctorum. Exultabunt sancti. Timete dominum. Preciosa in conspectu domini, &c. Cum suis versibus. Versus autem qui Halleluia adiunguntur, huiusmodi sunt. Laudate pueri dominum, laudate nomen domini. Sancti tui domine benedicent te, & gloriam regni tui dicent. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei. Fulgebunt iusti. Lætamini in domino. Iudicabunt sancti, & similia, qui illam superuenturam in cælis, quam expectamus gloriam omnia præ se ferunt. De tractibus autem exemplo sit primus qui canitur in Septuagesima. De profundis clamaui, &c. Itémque dominica quadragesimæ. Qui habitat in adiutorio altissimi. Et qui toties per quadragesimæ tempus replicatur. Domine non secundum peccata nostra facias nobis, & item in aliis, in quibus omnibus, vel clamorem audiuimus eius qui in profundis habitat, & ad supernum illud lumen nondum oculos valet at-

Psal. 129.

tollere siue eius qui sub variis tentationum illusionibus, hinc timorem nocturnum, illinc sagittam in die volantem, hinc negocium perambulans in tenebris, illinc dęmonii meridiani incursum metuens, de tribulatione poscit auxilium. Siue eius, qui propter iniquitatum multitudinem male punitionis pœnam timens, ad misericordiæ confugit auxilium. Denique quoniam prolixum est secundum ecclesiæ ordinationem hoc luctus & perigrinationis tempus, ne prorsus sine omni consolatione, luctus perseueret continuus, quasi ad modicam respirationem, audeat nonnunquam ecclesia lætiora etiam in tractu proponere sed rarius. Idque vocis sic asperitate temperat, vt facilè pateat, peregrini non plenum esse gaudium. exempli gratia, postquã in septuagesima de profundis clauit exaudiri, & in Sexagesima contritiones sanari petiit, tertia quæ est Quinquagesimæ, aliquantulum respirans, pro tractu assumit ecclesia. Iubilate domino omnis terra, seruite Deo in lætitia. Introite in conspectu eius, quoniam ipse fecit nos, &c. *Psal 65.*
Quæ verba licet gaudium habeant, tamen non nisi peregrinantium sunt. Hæc idcirco latius deducere nihil nos tædet neque

piget, vt manifestum fiat, quanta prouidentia ac ratione instituta sint, quæ in diuinis per nos geruntur officiis, & vt debitam exhibere diuinis rebus discamus venerationem, quarum rationes licet ignoramus: tamen omni cum reuerentia admirari suspicere, & venerari nos conuenit veræ ecclesiæ bonos filios, non adulterini, quidam & nothi, qui quæcunque nõ intelligunt, quasi vana superflua, & religionis impedimenta cauillantur, & tantùm non abiiciunt.

[...]mma prouidentia instituta sunt quæcunque in ecclesiasticis ordinationibus obseruãtur.

De redditu sacerdotis ad altare.

CAPVT XXV.

Mar. 1. Postquam Ioannes per prædicationem & baptismum suum populo præparato in aduentum Christi, in carcerem coniectus ab Herode, siluit, tunc venit Iesus aperte prædicans, qui prius Ioanne prædicante cessabat, vt illud impleretur quod de se Ioannes dixerat, illum oportet crescere, me autem minui. Et hoc in Missæ officio sacerdos significat, quando à loco in quo hactenus choro lugente per Gradualis asperitatem, & per Halleluia gaudente in Domino consederat, surgens ad altare reuertitur. Vt enim Marcus testatur, postquam traditus est Ioannes, tunc venit Iesus

Ioan. 1. *Matt. 4.* *Matt. 10.*

in Galilæam prædicans euangelium regni Dei. Nec ipse prędicăs modò, sed & Apostolos suos vocans & mittens ad euangelizandum regnum Dei. Ad quod designandum, sacerdos dat benedictionem diacono, ante altare humiliter inclinato. Cuius ministerium, Apostolicam signat functionem, quasi dicat. Ecce mitto vos, sicut oues in medio luporum. Vbi notandũ est quòd subdiaconus vt legat Epistolam, benedictionem nullam accipit, cuius est in diacono contrarium. Quia nimirum Deus Prophetas spiritu sancto inspiratos, misit inuisibiliter. Apostolos autem, factus homo visibilis, visibiliter destinauit. Rursum subdiaconus post finitam lectionem, ad sacerdotem reuerentiæ exhibendæ causa reuertitur, Diaconus autem, antequam legat se inclinans veneratur eundem, quia videlicet lex à Christo humanato finem accepit, quoniam finis legis est Christus, & ipse venerat, ad legis cæremonias atque iudicialia euacuanda, sed à Christo homine cœpit euangelicæ prædicationis initiũ. Nam primus ipse pertransiens per vicos & ciuitates, euangelizabat regnum Dei.

Rom. 10.

Matth. 6

De Stola Diaconi.

CAPVT XXVI.

PRius autem quàm ad alia ſermo decurrat, de Stola Diaconatus, quid ſibi velit, dicamus. Quæ ab humero dependens, circa lumbos ſtringitur, ad deſignandum eam quæ debet eſſe in vero ac digno euangelii miniſtro, colligationem fortitudinis atque continentiæ. Fortitudinis quidem ad operandum opera Dei. Continentiæ verò, ad cohibendas carnis laſciuias. In humeris enim, ad agendum fortitudo deſignatur. In lumbis, ſedes luxuriæ eſt. Neque verò alterum ſine altero ſufficit. Et (vt Gregorii verbis vtamur) redemptori noſtro, alterum ſine altero placere non poteſt. Si aut is qui bona agit, luxuriæ adhuc inquinamenta non deſerit, aut is qui caſtitate præeminet, nondum ſe per bona opera exercet. Neque caſtitas eſt aliquid ſine bono opere, nec bonum opus eſt aliquid ſine caſtitate. Vt ergo dignũ ſe euangelii pręconẽ oſtendat, ſtolam (per quam præceptorum Dei, & ſanctæ eius eccleſiæ, obedientia deſignatur) geſtat, quę ſuper humeros incumbens, lumbos, luxuriæ ſedem pariter complectitur. Quoniam per ſubmiſſionem & obedientiam præceptorũ Dei, & in agendo

Stola diaconi quid ſignificet.

Greg. 13. homelia.

bona opera fortem esse ac validum, & per castitatis continentiam ab illicitis concupiscétiis malis abstinere oportet, quemadmodum suis Apostolis saluator dicebat. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. *Luc. 12.*

De salutatione Diaconi ad populum.

CAPVT XXVII.

DIaconus benedictione accepta, priusquàm euangelium incipiat, salutationem præmittit per quam auditorum animos reddat, ad suscipiendum cum fructu lectionem sancti euangelii, attentos atque preparatos, quoniam Apostoli missi à Domino, pergebant per viros & ciuitates euangelizantes regnum Dei. *Lucæ. 9.* Salutatio autem quæ sic præmittitur, secundum illud accipi potest, quod saluator Apostolis iniungebat. In quácunque domum intraueritis, primũ dicite, Pax huic domui. *Luc. 10.* Quo exemplo diaconus (pacis vocabulum episcopo seruans) dominum pacis præcatur cum illis esse, quibus annuntiaturus est euangelium, qui illos sibi dignos faciat auditores, vt cum mansuetudine suspicientes in serenda euangelici verbi semina, saluas faciant animas suas. *Iacob. 1.* Illi verò, indicátes se dignos esse

Matt. 10. ſuper quos oblata illa requieſcat pacis ſalutatio, capite nudati, & erecti corpore, animóq; attenti, ſalutationem reddunt dicentes. Et cum ſpiritu tuo, obſecrantes cum ſpiritu humano, eſſe diuinum ſpiritum. Rurſum, ille quid annuntiaturus ſit præmittens, Sequentia, inquit ſancti euangelii. Quo audito cum magno gaudio aſtantes reſpondent. Gloria tibi Domine, quoniam gentes audientes ſibi verbum ſalutis à Deo eſſe deſtinatum (vt in actibus Apoſtolicis

Actu. 13 refertur) glorificabãt Deũ, & appoſiti ſunt quotquot præordinauerat Deus ad vitam.

De trino Crucis ſignaculo.

CAPVT XXVIII.

HIs autem ſic præmiſsis, antequam ad lectionem procedat, in euangelio crucem pingit manu, ſignificans, non humanum ſe aliquid, neque ſapientiæ ſecularis,

1. Cor. ris, ſed crucis Chriſti annuntiaturum myſterium. Quicquid enim ex noui teſtamenti pagina recitatur, ad crucis Chriſti & humanæ redemptionis myſterium pertinere dignoſcitur. Statímq; frõtem, os, & pectoris locum eodem crucis ſigno publicè cõſignat, cæteris qui aſtant audituri, idem agentibus. In quo ſignificat ſe crucem

Chriſti non erubeſcere, imò palam velle geſtare, per fidem in corde, ad iuſtitiam in ore per confeſsonem ad ſalutem, in fronte, per conuerſationem, in exemplum. In fronte autem, id eſt, in corpore palàm, per exteriorem conuerſationem, quoniam frons locus eſt maximè apertus & conſpicuus. Crucem enim in fronte geſtare ſe Paulus aſſerit, cum ait Galatis ſcribens. Ego ſtigmata domini Ieſu in corpore meo porto. Et alibi hortatur precio emptos glorificare & portare Deum in corpore ſuo. Quod ergo trinum ſibi crucis ſignum imprimit, tantundem eſt, ac ſi dicat. Crucem Chriſti, eiúſque euangelium nequaquam erubeſco, quin potius volo euangelii doctrinam corde credere, ore confiteri, & opere in conuerſationis obſeruantia, exprimere.

Ro. 10. *Galat. 6.* *1. Cor. 5.*

Quare ad aquilonem legitur.

CAPVT XXIX.

Diaconus autem euangelium lecturus, ad aquilonem ſe conuertit, & illic ſtans perlegit quod legendum fuerit. Aquilonaris enim pars frigida eſt malitiæ frigus (quod charitatem refrigeſcere fecit) repreſentans, & ſedes illius maligni,

Matt. 24. *Eſaiæ. 14* *Hiere. 2.*

qui dixit. Ponam ſedem meam in aquilone, & ero ſimilis altiſsimo. Et iuxta aliam ſcripturam, ab aquilone pandetur omne malum. Propter quod, aquilonem fugere vox prophetica exhortatur. Significatur ergo, quòd euangelica prædicatio adueniens contra malitiam omnem & principem malitiæ diabolum, eſſet pugnatura & triumphatura, id quod nunc per omnem eccleſiam clarè conſpicimus. Dum enim ad gentes (quæ omnes in frigore iniquitatis & infidelitatis iacebant, quaſi glaciali gelu
Ioan.12. conſtrictæ) Apoſtolica prædicatio directa eſt, emigrare fecit Dominum aquilonis, & princeps tenebraum (iuxta ſaluatoris verbum (iudicatus, foras eiectus eſt, & de hominum cordibus infuſo ſpiritusſancti calore, frigus illud expulſum eſt. Ad deſtruendum enim conſilia omnia & ſuggeſtiones malignorum dæmonum, ſanctum annun-
2.Cor.10 tiatur & auditur euangelium. Quod ne auditum veniens diabolus rapiat de cordibus audientium, crucis ſignum in pectore, poſt ipſius finem ſignamus, tali ſigillo cordis noſtri librum ſignantes, quod ille nequam ſerpens nulla ratione audeat vel poſſit infringere.

Quare post euangelium Subdiaconus osculandum apertum librum exhibet.

CAPVT XXX.

PErlecto euágelio, Subdiaconus librum apertum de manu Diaconi accipiens, ſacerdoti & diacono oſculandum exhibet, atque etiam (ſi adſit) Epiſcopo, quod olim videtur quantum ad omnes obſeruari ſolitum, eo modo quo nunc pacis ſignum circunfertur. In eo ergo quòd ſacerdos oblatum deoſculatur euangelii codicem ſignificatur quomodo Chriſtus dominus Apoſtolorum prædicationem ſequẽtibus ſignis atque prodigiis confirmauerit, & rata habuerit approbatáque omnia, quæ illi ab eo miſsi annuntiauerunt populis, illis non ſecus ac ſibi fidem haberi volens. Quod autem ſubdiaconus librum nunc apertum geſtat, & oſculandum defert, quem prius clauſum attulerat, ſignificat, quemadmodum lex quæ prius Chriſtum occultè prædixerat, poſt Chriſti & Apoſtolorum eius prædicationem, apertis per agnum ſignaculis, quibus fuerat obſignata vt non poſſet intelligi, apertam cœperit oſtendere fidem euangelicam, & nouæ legis myſteriis euidentia & congrua præbere teſtimonia.

Matt. 10.
Mat. vlt.
Apoc. 5.

Post Christi enim & Apostolorum prædicationem, quæ prius clausa erant, iam elucescere cœperunt, & patebat, quoniam de Christo Messia sic & sic prædicta fuissent.
Ioan. 12. Ioan. 2. Quemadmodum aliquot locis in sancto euangelio dicitur, quòd postquàm surrexit à mortuis, tunc recordati sunt, ita scriptum fuisse de eo, aut ab eodem prædictum extitisse.

De Symbolo fidei.

CAPVT XXXI.

QVod statim post decantatum euangelium inchoante sacerdote cæterísq; ad finem vsque prosequentibus, canitur fidei symbolum, fructũ, qui ex Christi & Apostolorũ prædicatione est in ecclesia cõsecutus, manifestat. Verè enim hæc sancta Dei confessio quæ in symbolo plenè cõtinetur, fructus est labiorum nostrorum confitentium nomini eius, & hostia laudis
Heb. 13. multò acceptissima Deo in odorem suauitatis. Sacerdotis verò inchoatio ad Christi personam commodè aptari potest, qui tũc ecclesiæ præcinebat, quandoque credenda erant, nobis per os suum & Apostolorum prædicatione, annuntiauit. Præcinenti verò respondet chorus, quia euangelicæ prædicationi acquiescentes populi, sanctæ

ſidei confeſsionem palàm confiteri non erubeſcunt. Et ne fortè dicat eccleſię ſponſus eius, Cecini vobis, & non ſaltaſtis, Idcirco in confeſsionis tripudio, ad Christi prædicantis vocem lætabunda exultat. Matt. 11.

De Offertorio.

CAPVT XXXII.

POſt Symbolum, cantatur offertorium ſiue offerenda. Eſt autem offerenda cantus eccleſię nomen habens ab offerendo, eo quòd tunc canitur quãdo omnipotenti Deo præparatur atque offerri incipit ſancta hoſtia. Et videtur eccleſię primę vox eſſe in fidei profectu (cuius initium ſignauit ſymbolum) pergentis atque creſcentis, contra veſanas incredulorum Iudæorum blaſphemias. Nam Iudæorum prauitatem quæ Chriſtum à ſua prædicatione multis modis quærebat impedire, ſignificare poteſt ſilenter, quòd dominus vobiſcum pręmiſſo, & deinde Oremus cãtato, quaſi multa eſſet ſubditurus, ſubitò ſilet ſacerdos. Chorus autem ipſo ſilente nec plura addente, nequaquam tacendum ſibi putat. Iudæorum enim peruerſitas Chriſtum in ſua prædicatione plurimum impedire quęrebat, & ſępe vt taceret cedens improbitati eorum, effecerunt, ſed fideles qui in eum

credebant,non cessabāt ab eius confessio-
ne.Quéadmodum de Petro legimus,quòd
aliis dicétibus ipsum esse Heliam,aliis Ioā-
nem bap.aliísq; alia narrantibus,ipse auda-
Matt.16 cter canebat. Tu es Christus filius Dei vi-
ui.Et inter Iudæorum blasphemātium ma-
ledictiones extollens quædam mulier de
turba vocem,apertè clamabat,Beatus ven-
Luc.11. ter qui te portauit, & beata vbera quæ su-
xisti. Item cæcus sanatus inter Iudæos
stans,confitebatur,quia nisi esset hic homo
Ioan.9. à Deo, non posset oculos cæci aperire, &
ita in aliis plurimis. Quorum omnium de-
uotio per chori offertorium illud cāticum,
congruè admodum exprimitur. Quod au-
tem istis sic cantantibus,hostiæ præparatur
oblatio, significat, quéadmodum Christus
dominus, postquàm per suam prædicatio-
nem initium nascentis ecclesiæ (quæ in A-
postolis primùm erat atque discipulis cæ-
terísq; fidelibus) ad qualemcunque profe-
ctum post se adduxisset, cœpit se ipsum in
sacrificium sanctum, & viuentem atque pla
cabilē hostiam præparare,déq; morte pro
suorum salute operanda meditari,cuius tē-
pus secundum patris voluntatem iam ad-
uenire cognoscebat. Quod autem multò
antequam velit in verum sacrificium cor-

poris & ſanguinis Domini oblata cõuerti, velut præuia quadam oblatione ſe præparat, ſignificat magnum illud deſideriũ quod erga ſuæ paſsionis tempus Chriſtus habebat; Iuxta quod ipſe de ſe in euangelio loquitur, Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coartor vſque dum perficiam illud? *Luc.12.* Prius enim quàm in cruce viſibiliter crucifigentium manibus offerretur, ſe ipſum frequẽter, immò inceſſanter deuotiſsimo cordis deſiderio pro humani generis ſalute patri ſuo offerebat, quod ipſa præuia ſacrificii oblatio, rectè deſignat. *Luc.12.*

De quibuſdam quæ in offerenda obſeruantur cæremoniis.

CAPVT XXXIII.

IN oblatione autem panis & vini primò conſiderandum, quòd ſubdiaconus ad altare præparatam hoſtiam deferens, operimento velatam, diacono tradit, qui per ſacerdotis manum, ipſam prius per ſe nudatam in altari conſtituit. Per quod ſignificatur, legem veterem Euchariſtiæ ritum tantùm ſignis præfiguraſſe, ſed euangelica traditione per Chriſtum nudè, palàm, & efficaciter inſtitutum fuiſſe. Colloca- *Vini & aquæ in* to autem in altari calice, ſacerdos aquam

calicē cū mixtio quid significet. vino adiungit, ídq; adeo modicè, vt possit statim vini virtute, in illud trāsformari cui adiungitur. Quo significatur vnio populi Christiani cum Christo domino, quoniam per sanctam Eucharistiam (quæ est sacramētum mortis Christi) populus fidelis miraculosa & superhumana vnione, vnitur Christo & Deo, vt sint vnum caput & mēbra, quēadmodum ad patrem Christus loquitur dicens. Pater rogo vt omnes vnum sint in me, sicut tu pater in me, & ego in te. Nam in scripturis per aquas, populi intelligūtur. Aquę enim (vt habet Apocalypsis) populi sunt. Dulce verò mysterium inest in eo, quòd vnam tantùm aquæ guttulam aut paululum admodum in vinum infunditur. Nempe illud est, quod Esaias dicit. Omnes gentes in conspectu domini non aliud esse, quàm guttulam situlæ quæ fluit de plenitudine eius. Et quemadmodum facillimum est vino, vt aquæ guttulam, per abundātiam virtutis, quam sibi naturæ donauit opifex, conuertat transformétq; in suam naturam, ita credimus apud omnipotentem Deum nequaquam esse difficile, vt nos per suam diuinitatis virtutem & gratiam in se transformatos, sibi iungat & vnum faciat.

Ioan. 6. *Ioan. 17.* *Apo. 17* *Esa. 40.*

De Thurificatione & Ablutione manuum.

CAPVT XXXIIII.

DEinde ſuper oblationem, thuris fumigat odorem, poſtulans offerendum ſacrificium Deo acceptum fieri, & placitum in odorem ſuauitatis, propter illum qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, bene odoriferam in odorem ſuauiſſimum, & vt ſic aſcendant per Chriſtum quem offerimus, noſtrarum precum ſuffragia, quomodo per ignem qui eſt in thuribulo, ſurſum fumus agitur aromatum. Poſt quæ manus abluit, quanquam alioqui in principio ante altaris acceſſum mundatum ſe fuiſſe optimè ſciat, vt ſi fortè interim vllam vndecunque maculam contraxiſſet, abluatur hac ablutione, priuſquam ad ſacroſancta in manibus tenenda myſteria accedat, ſignificans hoc ipſo, ſi qua forſitan per humanæ fragilitatis miſeriam, huc vſque vanitatum phantaſmata mentem maculauerint, vt vel nunc omni cum attentione abiiciantur, & quaſi nouam cordis aſſumamus mundiciam. Nec enim dubium eſt, tanto nunc ab omni immundicia, etiam leuium cogitationũ atque affectuum, me-

Ephe.5.

Cur ſemel lotas man⁹ iterũ abluat.

ritò esse abstinẽdum, & abiicienda ex animo omnia, quanto ad sanctissimum illud passionis mysterium, fit accessus propior. Itaque lotus semel, manus iterum abluens, recordetur sacerdos, geminam vt assumat cum Dei adiutorio mundiciam, quo tam sacris quæ iam aggreditur mysteriis, nulla parte possit haberi indignus. Apud Esaiam enim legimus. Veterib⁹ illis hostiarum victimatoribus ita dictum à Domino. Cùm extenderitis manus vestras, non exaudiam vos, quoniam manus vestræ sanguine plenæ sunt. Subdens autem consilium, dicit, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Quod ne similter nouis sacerdos sacrificiis contra se proferri audiat, manus lauat, antequàm orationem secretam proferat super hostiam populo, vt fiat exaudibilis.

Esa. 1.

De Silentio post offerendam.

CAPVT XXXV.

Post cantatam offerendam, tam sacerdos quàm chorus agũt sub silentio. Ex parte quidem sacerdotis, ad significandum quod Ioannis vndecimo capitulo de Christo scribitur, quemadmodum post resuscitatum Laza-

Ioan. 11.

rum vbi cogitaſſent ab illo die eum interficere Iudæi, Chriſtus iam non in palàm ambulabat apud Iudęos, ſed abiit in regionem iuxta deſertum, in ciuitate quæ dicitur Ephrem, vbi morabatur cum diſcipulis ſuis, eo quòd ſciret nondum adeſſe horam à patre, ad paſsionem ſuam diffinitam, antequam ſicuti pati non potuit, ita nec voluit. & ſicut nō voluit, nec potuit. Hoc ergo ſacerdotis breue ſilentium Chriſti ſignificat latibulum. Ex parte verò chori ſilentium ſignificat quod Ioannis ſeptimo legitur, quoniam ob metum Iudæorum (qui mandatum dederant, vt ſi quis illum confiteretur, extra Synagogam eiiceretur) nemo de eo palàm loqui audebat, etiam bonorum, qui ſubmurmurantes, licet inter ſeſe dicerent de Chriſto, quoniam bonus eſt, tamen in palàm de eo loqui nihil boni audebant. Perſecutionis ergo iſta ſæuiſsima rabies, quæ & Chriſtum latere fecit, & bonos à confeſsione tacere, vt non auderent palàm de eo loqui, iſto nobis ſilentio ſignificatur, quod breui duratione perdurans, , ſtatim ſoluetur.

Chriſtus ante tempus à patre definitū, pati nec potuit, nec voluit.

Ioan. 9.

De huius silentii interruptione dicendo, Per omnia sæcula sæculorum.

CAPVT XXXVI.

Matth. 6. ITaque sacerdos post modicum silentium ex dispensatione occulta assumptũ, donec hostiam parasset, & patrem orasset in abscondito, quando in palam loqui prohibebatur, rursus vocem exaltans gloriosè cantum resumit, dicens. Per omnia sæcula sæculorum. Ab hoc autem loco & deinceps, vsque ad finem Canonis, mysterium passionis Christi nobis ecclesia proponit vicinius, primumq; omnium, nouissimum illum Christi ad locum passionis aduentum, ponit ante oculos. Cùm enim sacerdos voce exaltata, Per omnia sæcula sæculorum decantat, ad memoriam nobis reducit, quomodo in palam iterum Iesus ex latibulo venit in domũ Lazari, ad quem locum ex ciuitate conueniebant plurimi, audiẽtes eum illuc aduenisse. Sic enim Ioan. *Ioan. 12.* scriptũ est. Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat ei. Lazarus autem vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria autem accepit libram vn-

guenti preciosi, & vnxit pedes Iesu, & capillis suis extersit, & domus impleta est ex odore vnguenti. Quemadmodum autem tunc illa Bethaniensis familia conuiuio ministerio & odori vnctione Christum benignè excipiebat, ita nunc factum illud recolens veræ obedientiæ ecclesia sancta, propter facti præclari imitationem, dulce suo sponso (quem iam vt statim immolandum recipit ex latibulo venietem) exhibet laudis conuiuium atque gratiarum actionis præparat vnguentum, quod in præfatione super ipsum effunditur, ita vt tota domus ex eius fragrantia impleatur ecclesiæ. Neque verò in præfationis cãtu, diuersa sunt signorũ perquirenda alia mysteria. Sed ad gratiarum actionem & laudis sacrificium (quod illic quæritur) verborumq; quæ recitantur intelligentiam tota mens erigatur, & quasi conuiuanti saluatori gaudẽter assistens, vnguento gratitudinis caput pariter & pedes studiosè perungat.

Deuotionem Bethaniensis familiæ sancta imitatur Ecclesia.

Ioan. 12.

De Hymno, Sanctus Sanctus Sanctus.

CAPVT XXXVII.

QVi postmodum à toto choro canitur, angelicus partim, partimque hymnus hominum, Sanctus Sanctus Sanctus &c. ad alteram nos diem qui mox se-

quitur, tranſmittit. Sic enim loco ſupradi-
12. cto ſubditur, In craſtinũ autem turba mul-
ta quæ venerat ad diem feſtum cùm au-
diſſent quia Ieſus venit Hieroſolymam,
acceperunt ramos palmarum, & proceſſe-
runt obuiam ei, & clamabant. Oſanna be-
nedictus qui venit in nomine domini rex
Iſraël. Hunc ergo ſanctum palmarum diem
& ſolennem Chriſti in Hieruſalem aduen-
tum, vox iſta laudis nobis reducit in me-
moriam. Quod autem ſacerdos Benedi-
ctus qui venit in nomine domini ſecum re-
citans, cruce ſe conſignat, ſignificare po-
teſt, quòd magnificus ille introitus & cum
populi acclamatione ingreſſus, non ad re-
gnum ſuſcipiendum Chriſto erat, nec tem
poralem honorem, ſed ad crucis in ea bre-
ui perferendum ſupplicium. Nam hac ipſa
de cauſa mox concilium congregantes Iu-
dæi, dicunt ad ſe inuicem, videtis, quia ni-
hil proficimus, & firmius in mortem eius
Ioan.12. coniurant. Vnius ergo diei gradu, Chriſti
paſsio facta eſt vicinior.

De ſecreto Silentio quod incipit ad Canonem, & de multiplicatione ſigni crucis.

CAPVT XXXVIII.

STatim verò post Hymni concentum, imò choro adhuc cantante, sub secreto silentio sacerdos agit, dicitque omnia ad designandum passionis mœrorem, ad quam omnis nunc tendit consideratio. Vnde & ab hoc loco nullum est ex cæremoniis significationis iudiciũ præter crucem solam. Quæ hîc idcirco frequentissimis repetitionibus omnia signat quæ signanda veniunt, quoniam ad passionem quæ in crucis patibulo consũmmata est, attinent quæ hic geruntur & repræsentantur omnia. Notandum verò, quòd sicut in prioribus Missæ partibus plurima fuerunt & diuersa copiosè repræsentata mysteria, ita vt signorum intelligentia verborum pondus superaret. Ita à præfationis loco magna diligentia cautum est, vt cæremoniarum multitudine euitata, sola cruce signentur omnia, quo sic mens bene vnita, fortius posset in passionis memoriam ac facilius, tota intendere, vt omnis intentio circa sublimia Canonis verba, quæ tunc proferri incipiunt, vel circa passionis ordinem, sine distractione feratur.

Crucis signum sub Canonis pronũtiatione multiplicatur.

De distinctione partium Missæ.

CAPVT XXXIX.

VNde mihi videtur totum Missæ officium non incongruè duabus partibus diuidi posse. Quarum prima ab initio vsque ad præfationis cantum protensa, plus ferè requirit attentionis in sacris quæ per varia indicia signat mysteriis, quàm in verborum sententiis. Altera verò à præfatione sumens initium, ad finem vsque Missæ perdurans, in cæremonialibus signis est parcior, vt fiat ad sanctissima gratiarum actionis ac consecrationis verba, quæ in Canone patrum habentur, maior & facilior attentio, potissimum quandiu Canon legitur. Quapropter ad tam sancta & sublimia verba, quæ in ipso Canone leguntur, adq; intelligentiã tam præfationũ quàm Canonis, sacerdotem decet maximè attentum esse. Habet tamen & illa pars bonam plærumque verborum intelligentiam, & hæc posterior signis omnino non caret, sed illa signis est cæremonialibus plenior, hęc verbis & sententiis fœcundior.

Diligens attẽtio ad sublimia Canonis verb[...] [...]beri.

De initio Canonis. Te igitur.

CAPVT XL.

CAnonis autem verba hoc in loco particulatim non attendimus explicare, peculiarem illius expositioni tractatũ (domino donante) meditantes, sed tãtũm cæremoniales ritus, & passionis mysterium quomodo crucis signationibus hic repræsentetur, breuiter ostendere. Igitur sacerdos post hymnum cantatum, aut potius dum à choro hymnus canitur humiliter se coram altari iunctis manibus supplex inclinat. A qua se inclinatione erigens, osculo altari impresso, tres deinde cruces super oblationem totam signat. In quo signatur humilis illa erga patrem obedientia, qua Deus Dei filius Christus dominus, sciens quia instaret hora qua transiturus esset ex hoc mundo ad patrem, & quoniam venisset plenitudo temporis quod ab initio pater constituerat, voluntariè & humiliter, propter patris amorem & obedientiæ eius mandatum implendum, propria voluntate venit in Hierusalem ciuitatem, vbi sciebat commorari eos qui inhiabant sanguini eius, & concilium faciebant aduersus animam eius, per singulos dies. Patris tamen iussionibus & bene cognita volunta-

Quid significet post inclinationem & altaris osculũ crucis signatio.

te cõfortatus, erexit ſe, & propter nimiam humani generis dilectionem, propter quã iam olim homo factus fuerat (quod per altaris oſculum deſignatur) tradidit ſemetipſum in manus hoſtium ſuorum propria voluntate, quod in trina crucis illa ſuper hoſtiam conſignatione nobis proponitur. Vbi attende dulce myſterium quòd inclinans ſtatim vt erigit ſeſe, prius oſculum imprimit altari, quàm ad conſignationem procedat. Vt ſignificetur, quòd non ſolùm ex humilitate obedientia & amore patris ſe Chriſtus ad mortem dederit, verumetiam ex nimio erga genus humanum amore, vt ipſum pacificaret Deo. Si enim ſic Deus pater dilexit mundum ipſo atteſtante qui eſt veritas, vt filium ſuum vnigenitum daret, nihil dubium eſt, quin ſic etiam filius ipſe mundum dilexerit, Vt ſeipſum libenter, patre iubente & mittente, dederit. Nunc conſignationem illam oblationis cur trina fiat, videamus.

Ephe. 3. *Col. 1.* *Ioan. 3.*

Chriſtus à patre traditus eſt, à ſeipſo, & à ſpũ ſancto

De trina crucis conſignatione.

CAPVT XLI.

TRina verò iſta crucis conſignatio, trinam Chriſti traditionẽ deſignat, quoniam & à patre traditus eſt, & à ſeipſo, & à ſpiritu ſancto. De patre quidem iam di-

ximus, quoniam ſic ille dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Item Apoſtolus Paulus, Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. De ſeipſo quoque teſtatus eſt, dicens. Poteſtatem habeo ponendi animã meam, & iterum ſumendi eam. Quod ſi reſumendi, haud dubiè & conſeruĩdi habuit poteſtatem, vt non auferretur, niſi humani generis amor alius ſuaſiſſet. Item, Animam meam pono pro ouibus meis. Nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Quemadmodum & Eſaias multò antè quaſi præteritum, quod futurũ erat prędixerat. Tradidit (inquit) in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. Et alia huiuſmodi, quibus plena ſunt Prophetarũ vaticinia, atq; Apoſtolorũ literæ, infinita teſtimonia. De ſpiritu ſctó quoque clarum eſt, quoniã ipſe erat qui conſilium hoc optimum, ſuggeſſerat patri, & verbo filio, ipſe amor impellens ad humani generis redemptionem, Nam quis, niſi amor, patrem induxit, vt vnigenitum de ſinu ſuo demitteret ad tam vilia? Aut filium, vt ad terras tanta paſſurum ſe præſciens, tam voluntariè deſcenderet? Certè amor eſt & charitas, quæ hoc noſtræ ſalutis opus ſol-

Rom. 8.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Eſa. 5.

licitè ſic perfecit. Atqui ſpirituſſanctus amor & charitas eſt. Vnde & Apoſtolus Paulus, in Epiſtola ad Hebræos de Christo ſcribit, quòd per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit Deo patri immaculatum. Itaque trina hac crucis cõſignatione, congruè admodùm Chriſti à tota Trinitate factam mortis traditionem intelligimus. Cui etiam intelligentiæ congruunt verba quæ ſub his crucis ſignationib9 proferimus, dicentes, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Nam vt à patre nobis Chriſtus eſt demiſſus, donum noſtrum intelligitur. Liberaliſsimus enim atque benigniſsimus dominus, Videns paupertatem atque inopiam noſtram, quoniã vſq; tunc eccleſia dignum aliquid non habuit quod Deo poſſet in peccatorũ expiationem offerre, hoſtiã ſibi placitã dono nobis & tunc miſit, & donat etiam nunc per ſingulos dies hominẽ factũ Ieſum Chriſtũ filium ſuum, qui & ipſe etiam munus noſtrum eſt, ſiue quia ſeipſum obtulit patri per mortem, pro noſtra redemptione, ſiue etiam quia nos illum modò offerimus, nobis ad hoc donatum, vt offerimus per ſingulos dies. Sacrificium autem illibatum fit nobis erga patrem quotidie, per ſpiritum ſanctum,

Hebr. 9.

Donum, munus, ſacrificium.

ſanctum, per quem (vt ex Paulo diximus.) *Hebr.9.*
obtulit ſeipſum Deo, immaculatum & gratiſſimum ſacrificium. Quod idem ille apertius ita Epheſiis ſcripſit. Chriſtus dilexit nos (in quo ſpiritu ſanctus) & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiã Deo in odorem ſuauitatis. Nos quoque, in eodem ſpiritu per fidem viuentem, quotidie offerre non deſinimus, Nonnulli verò tertium crucis ſignaculum ad Iudæ proditoris damnandã traditionem, omiſſo ſpiritu ſancto, referunt, quod ego ſicut non reprobo ita nec approbo, malens trinitati trinã crucem aſſcribere. Et haud ſcio, an dignum ſatis videri debeat, vt impia illa Iudæ traditio, ſanctæ patris ac filii traditioni cõnumerata, eodem ſigno ſanctitatis conſignetur. *Ephe.5.*

Quare his tribus crucibus tota oblatio conſignetur.

CAPVT XLII.

Fiunt autem hæ conſignationes ſimul omnes ſuper totam oblationem, Id eſt; non ſuper panem tantùm, neque ſuper vinum tantùm, ſed ſuper vtrunque ſimul, ad ſignificandum quòd Chriſtus traditus fuit ad patiendum, tam in corpore cuius panis ſignum habet, quàm in ſanguine, quem vi-

Corporis Chriſti paſſio nõ fuit ſine ſanguinis effuſione.

vinum licet nondum consecratum, repræsentat. Christus enim & in corpore dura pertulit verbera, flagella, sputa illusiones, vincula, & alia eiusmodi, & in sanguine quem effuderunt illi impii copiosissimè, nihilominus passio eius cōsummata fuit. Sunt enim qui in corpore patiuntur, sed non vsque ad sanguinem, quemadmodum suis Hebræis Apostolus dicit, nondum vsque ad sanguinem restitistis. CHRISTVS autem ad sanguinem vsque, imò vsque ad vltimam sanguinis guttam, passionibus exhaustus est.

Heb.17.

De quinque Crucis consignationibus dicendo benedictam, adscriptam, ratam, & deinde corpus & sanguis.

CAPVT XLIII.

HActenus in palmarū die sacerdos consistens, postquam eorum pro quibus offerre vult sacrificium cōmemorationem fecit, simúlque sanctorum eorum, quorum precibus & meritis offerendum per se sacrificium cupit esse commendatum, tandem ad sequentium dierum mysteria, crucis signa multiplicando progreditur, quinque simul crucis signa super oblationem, manuali benedictione formans, per quæ,

dierum quinque intellige hiſtoriam, à die introductionis (quem palmarum nos nominamus) vſque ad ſanctum diem paraſceues, qui eſt à die introductionis numero quintus, in quo crucifixus dominus, mortuus atque ſepultus eſt, & myſteria omnia conſummata, quæ ad paſſionem attinent, propter quod, crucem ſextam ſacerdos non apponit, volens in diei illius requieſcere memoria in qua paſſionis Chriſti & ſalutis myſterium conſummatum fuit. Breui igitur ſaltu tranſcurrit interiacentes dies, neque in his defigit memoriam, quoniam ad finem & conſummationem, in qua diutius commoretur, properat.

Quare ſacerdos diutius immoretur in palmarum diei myſterio magis quàm in ſequentibus diebus.

CAPVT XLIIII.

QVare autem tam longam memoriam illi dedimus diei, in quo cum ramis palmarum Dominus illatus eſt in ciuitatem, contra breuiſſimam & ferè nullam diebus intermediis, vſque ad ſextam feriam, cauſa eſt, magnum myſterium, quod in palmarũ & proceſſionis die latet reconditum, quoniam tunc illatus fuit in ciuitatem

Ioan.12. Hierusalem verus ille agnus Dei, qui venerat immolari pro peccatis mundi, hoc est, decima luna, quando olim secundum legem veteres Iudæi agnum phase inferre debebant in domos suas, quem quartadecima die ad vesperam comederent assum igni, qui agnus typum gerebat veri agni Christi filii Dei, ob quod etiam decima luna, eadé die illatus est, tam à patre quàm à seipso, in domum immolationis (id est in ciuitatem Hierusalem) in qua post modicum erat immolandus. Atque hoc est quod paulò antè diximus, quoniã à turbis inferri se & introduci permisit, non quasi regnum accepturus, sed quasi agnus paschalis, patris & sua voluntate neci addictus, iam iamque immolandus. Dies autem sequentes tres, nihil insigne habent quod ad passionem pertinet. Nondum enim potuerunt manus in eum iniicere, quia nondum hora eius venerat, sed quartadecima luna ad vesperam, quando secundum legem, paulò antè illatus agnus debebat immolari, tunc manus violentas iniecerunt in eum, quem vsque tunc Dei prouidentia seruauerat, vt tangi non potuisset, & à crudelissimis lanistis obsessus, captus, atque ligatus est, & ad mortem quæsitus, ac sequenti die (quæ feria

Ioan.1. *Exod.12.* *Ioan.7.* *Mar.14.*

ſexta è flagellis attritus, demum cruci affixus in ea mortuus eſt. Quanquã autem qnintæ feriæ (in qua Dominus ſanctiſſimum ſui corporis & ſanguinis ſacramentum nobis in teſtamentũ inſtituit atque reliquit) meritò videatur lõgior deberi memoria. Hoc tamen ideò non facimus, quoniam ipſa ſacerdotis præcipua actio (quæ eſt panem in corpus, & in ſanguiné vinũ per Chriſti verba conuertere) illius eſt diei inſtitutio, & ipſius myſteria tota ſacerdotis actio per ſe ſatis repręſentat. Quorſum enim ſigno opus eſt, vbi res ſeipſam manifeſtat.

De eleuatione dominici corpoporis & ſanguinis.

CAPVT XLV.

POſt itaque ſextam & nouiſſimam conſignatam crucem, ſacerdos totum ſe in paſſionis Chriſti memoriam (cuius ſacramentum per memoriale peragit) recolligens, vbi prolatis conſecrationis verbis, agnum viuum Chriſtum dominũ, eundem qui eſt ad patris dexteram, tenet in manibus, ſtatim in altum eleuatũ, omnibus exhibet adorandum, ſignificans nimirũ quomodo cruci affixus, exaltatus fuit à terra, *Mar.15.* ita vt poſſent eum omnes, qui per viã tranſi-

bant, à longè aſpicere. Quod ſimiliter de calice facit conſecrato, etiam illum offerens vniuerſis aſpiciendum, quoniam in oculis omnium, ex eius benedictis vulneribus, de toto corpore abundanter ſanguis effluebat.

De extenſione manuum ſacerdotis, & quina crucis conſignatione.

CAPVT XLVI.

Psal.21. MOx in crucis in modum extenſis brachiis, cùm dicit. Vnde & memores Domine nos tui ſerui, Chriſti ſignificat in crucis patibulo crudelem extenſionem, & talem) vt præ extenſionis enormitate dinumerarentur (iuxta prophetam) omnia oſſa eius. Statímque quinario numero crucis ſignaculum repetens, dicendo, hoſtiam ✠ puram, hoſtiam ✠ ſanctam, hoſtiam ✠ immaculatam, Panem ſanctum ✠ vitæ æternæ, & calicem ✠ ſalutis perpetuæ. In quibus quinque ſignis plagas quinque Saluatoris noſtri, duas videlicet manuum & totidem pedũ, & vnam lateris dextri, quibus fuit in crucis appenſione ſeu afflictione dirè vulneratus dulciter

Canti.2. commemorat. In quibus aliquãdiu requieſcens, & quaſi foraminibus petræ nidifi-

cans, supplicat prolixius, oblationis suæ sacrificium acceptum haberi apud Deum, vt sit ad salutem illis pro quibus fit oblatio. Postquam verò post inclinationem supplicationis, iterum se erigit, deosculatus altare, idem signum tertiò replicat, dicendo. Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus ✠ & sanguinem ✠ sumpserimus, omni benedictione cælesti ✠ & gratia repleamur. Primò super corpus, secundò super calicem, tertiò ad seipsum. Per quod significari commodè & tempestiuè admodum potest, trium statuum memoria, ad quos hoc pertinet oblationis atque sacrificii mysterium. Sunt enim in cælis beati, qui in aspectu gloriosi corporis ex diuinitate, iam satiantur, quibus proficit ad gloriam & honorem. Sunt in purgatoriis locis nondum possessores, de sua tamen spe securi, quibus non nisi venia per sanguinis Christi virtutem, opus est, quibúsque ex Christi sanguinis effusione veniam suppliciter statim deposcimus, cùm subdimus, Memento etiam Domine famulorum famularúmque tuarum, &c. Sumus tertio loco nos in via adhuc peregrinantes, Dei gratia & benedictione, quæ nos in bono opere confirmet

Tres sunt hominum status, quis respicit altari sacrificium.

2. Cor. 6.

opus habentes, propter quod, cruce versus nos ipsos formata, dicimus. Omni benedictione cælesti & gratia repleamur, Per Christum dominũ nostrum. Quartum est genus eorũ, qui à Dei gratia repulsi, æternæ damnationis sententia sunt obstricti, quos nostrum sacrificium nõ respicit, quod non nisi illorum est, qui in charitate Dei hinc decesserunt, propter quod, quartam istis crucem non adiiciamus, quoniam nõ est eis pars in domino, neque in nostro sacrificio.

Damnati nõ sunt sacrificij participes.

De pectoris tunsione, à nobis quoque peccatoribus.

CAPVT XLVII.

CVm auté sacerdos ad locũ illum peruenerit vbi dicitur. Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis, pectus suum percutit, & iuxta pluriũ vetustam cõsuetudinem, vocem aliquantulũ eleuat, in memoriá reuocando, quemadmodum latro ille pœnitens in cruce, contrito corde Domini misericordiam supplex inuocauerit, eámque inuenerit, quando de crucis tribunali, siue magis propiciatorio, audire meruit dulcissimam promissionis vocem. Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso. Notandum verò quòd priori loco, defunctorum

Luc. 23.

nondũ glorificatorũ meminit ſacerdos, dicens. Memento etiã Domine famulorũ famularum,&c.Deinde viuorũ,dicendo,Nobis quoque peccatoribus,Poſtremò beatorum iam cum Chriſto regnantiũ, cùm ſubditur. Cum tuis ſanctis Apoſtolis ac Martyribus,cum Ioanne,Stephano,&c.Non id quidem in dehonorationem ſanctorũ Dei, ſed vt prius illorũ facta commemoratione & commendatione,qui auxilio & interceſſionibus opus habent, poſtremo loco illi aduocentur,quorũ meritis & ſuffragiis ſperamus adiuuari,& quorum commendationibus ſacrificium noſtrum credimus Deo gratum fieri atque acceptum.

De aliis octo ſignis Crucis.

CAPVT XLVIII.

Quoniam verò Dominus ac ſaluator noſter hora ſexta cruci affixus,& nona mortuus tribus horis viuus pependiſſe cognoſcitur in patibulo,ad hoc deſignandũ ſacerdos totam oblationem,calice manente operto, trina cruce conſignat dicendo, Sancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis.Poſt quæ amoto operculo à calice, & corpore dominico eleuato, cũ ipſo ter ſuper calicem crucem pingit,dicens.Per *Luc.23.*

Sex horis Christus in cruce pependit.

ipſum ✠ & cum ipſo ✠ & in ipſo ✠ tres horas deſignans, quibus exaltatus in cruce pependit defunctus. Nam hora nona defunctus, hora veſpertina depoſitus & ſepultus traditur. Vnde iſtis crucis ſignationibus, ſex horarũ numerum, quibus in cruce (partim viuens, partim mortuus) pependit, congrua ſignificatione & deuota meditatione intelligendum exiſtimo, quanquam diuerſi diuerſa ſuper huiuſmodi exponant myſteria.

Nõ eſt cõueniẽs, cæremonialibus ſignis diuerſas dare ſignificationes

Quibus noſtra nihil obſiſtit interpretatio, quoniam nihil prohibet iiſdem ſignis plura ac diuerſa ſignificari, iuxta diuerſas acceptiones rationum. Quemadmodum enim in vocibus ad placitum ſignificantibus, reperitur multiplex ſignificatio, ſic & in ſignis rerum nihil prohibet fieri. Cæterũ duæ cruces adiectæ, quæ à labio calicis in rectum, verſus ſacerdotis pectus dicuntur, ſignificant myſterium ſanguinis & aquæ, quæ de latere Domini, in cruce mortui pendentis, effluxerunt. Vnde dum hæ cruces fiunt, quę mortui deſignánt myſteriũ, calix diſco operitur oblato operculo, quoniã Chriſto moriente, velum ſciſſum eſt medium, à ſummo vſque deorſum, & ſancta ſanctorum, quæ prius latebant abſcondita, per mortẽ Chriſti, impleta, conſummata, & reuelata ſunt.

Mar. 15.

De exaltatione vocis, dicendo, Per omnia sæcula sæculorum.

CAPVT XLIX.

QVoniam autem remiſſa voce magna Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, ſic clamans expirauit Dominus, idcirco eleuata voce, facto ſilentii ſecreto, ſacerdos ſuper calicem tenens hoſtiam, cantat, Per omnia ſæcula ſæculorum. Cui lamentabiliter Chorus reſpondet, Amen, mulierum, cæterorúmque qui ad iſtud ſpectaculum, compaſſionis luctum ſignificans. Sic enim de hoc, apud Lucam fideliter ſcriptum legimus. Stabát autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa hæc videntes: quibus nō dubium eſt magnum luctum fuiſſe, quòd illum in quo tanta virtutis ſigna conſpexerant, tam miſerabili viderent morte vitam finire.

Luc 23. *Luc. 23.*

De corporis Christi depoſitione ſuper corporale, & opertione calicis.

CAPVT L.

STatim verò cātu finito, ſacerdos quam prius ſuper calicem tenebat hoſtiam, leniter & reuerenter per latus calicis circú-

ducens, reponit ſuper corporale, & calicem cooperit, ſignificans ſanctam Chriſti ſepulturam, quam illi reuerenter & religioſè viri
Luc.23. iuſti Ioſeph & Nicodemus impenderunt. Qui depoſitum corpus accipientes inuoluerunt ſindone, & poſuerunt in monu-
Mat.27. mento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, ad cuius oſtium aduoluerunt ſaxum magnum, quod per calicis ſanguini ſuperpoſitum operculum poteſt intelligi. Neque turbare quenquam debet, ſi non eo ordine cuncta per cæremonias ſignificentur, quo facta ſunt. Cuiuſmodi eſt illud, quod paulò antè quinario numero ſignorum, diximus quinque Chriſti vulnera intelligi, cùm tamen adhuc viuentem & in cruce agonizantem recordaremur, quando quintum vulnus nondum acceperat. Itémque, quod prius trib⁹ ſignis tres horas quibus in cruce mortuus pependit, diximus intelligi, cùm tamen poſterius morientis clamorem eleuatione vocis exprimamus. Non enim ita poſſunt ſingula ordinatiſſimè ſuo loco denotari, neque poteſt per omnia ſignati ordinem, ſignũ ſemper tenere.

De oratione Dominica,

CAPVT LI.

HOc in loco competéter beatus Gregorius orationem dominicam dicendam instituit, incongruum existimans, vt cùm super eucharistiam diceretur oratio quam scholasticus composuit, ipsa non diceretur, quam per se Dominus noster dictauit. Neque verò alio loco magis cōgruè potuit orationis nostræ perfecta supplicatio collocari, quàm post Christi mortem celebratam, ante sacraméti perceptionem, quoniam efficacissimum medium ad impetrandum omne bonum, est mortis Christi memoria. Et quemadmodum sacerdos antequàm ad passionis recolédum mysterium accederet, prius per solennem laudis atque gratiarum actionis cautum se præparauit. Ita modò mortis facta commemoratione, in oratione immoratur prolixius, ipso orationis hoc ordine significans, se per Christi mortem obsecrando, quęcunque sunt bona postulare. Potest autem hæc longa orationis postulatio & aperta exclamatio vocis illud significare, quod nobis post Christi expirationem Lucas de Centurione & aliis loquitur, dicens. Videns Centurio quod factum fuerat (id est quòd sic clamans ex

Hæc ordinatio habetur in Registro. lib. 7. episto. 6. sub in dictione secūda.

Luc. 23.

piraſſet) glorificauit Deum dicens, Verè, hic homo iuſtus erat. Et (iuxta alium.) Verè filius Dei erat iſte. Et omnis turba eorum qui ſimul aderãt ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ ſiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Hanc ego confeſſionem Centurionis, & aliorum plurimorum corde compunctorum, luctúmque virginis matris Mariæ, & aliorum condolentium ſuper Chriſti morte, congruè in orationis dominicæ clamore ac vociferatione poſſumus accipere.

Mar. 15.

De ſilentio poſt orationem dominicam.

CAPVT LII.

HActenus diei paraſcæues nos tenuit myſterium. Nunc ad ſabbatum fit tranſitus, quod per ſilentium ſubſequens orationem Dominicam exprimitur. Quoniam tunc, & Chriſtus in ſepulchro quieuit, beatiſſima eius anima interim ad patrum liberationem, & de lymbo eductionem agente & mulieres (vt Lucas refert) ſecundum mandatum ſiluerunt, ab operis obſequio ceſſantes, propter Sabbati feſtiuitatem, quæ ex lege ab omni opere ceſſare iubebat. Interim autem ſacerdos orationem profert, quæ vltimæ petitionis dominicæ

Luc. 23.

Exo 20.

eſt repetitio atque expoſitio, prolixius obſecrans, ab omni malo præterito, præſenti, atque futuro, per ſanctorum interceſſiones liberari, quo & à peccato liberi, & ab omni perturbatione ſecuri perſiſtamus.

De Patenæ reſumptione poſt orationem dominicam.

CAPVT LIII.

ILlud verò pertranſeundum non exiſtimo quod de Patena in feſtorum cæremoniis, ſolenni obſeruatione palàm & apertè conſpicimus, quemadmodum ad hymnum illum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſubdiaconus patenam accipit, manu tenendam, donec finis ſit orationis dominicæ quando eandem reſumit per manum Diaconi ſacerdos. Patenam enim in ſignũ crucis Chriſti accipimus, quoniam quẽadmodum in cruce viuus pependit, ac mortuus dominus, ita in patena, tam ante conſecrationem quàm poſt locum habet panis & corpus. Exaltatio patenæ, crucis myſterium ſignificat. Vnde dum ſubdiaconus patenam erigit, ea parte miſſæ, quæ (vt ſuprà diximus) paſſionis in ſe includit ſacramentum, admonet vniuerſos, vt ad paſſionis & crucis memoriam mentem applicent, quam nõ prius

dimittit, quìm passionis mysterium finiatur, corpore commendato quieti sepulchri. Quod autem prius velamento opertam tenet, quam discooperit cùm incipitur oratio dominica, eo respectu fieri putamus, vt significetur, quoniam per Christi mortem velum templi scissum est medium, & patefacta omnia quæ prius latuerant. Quod tamen & aliter accipi potest, nihil incommodius, vt per radiantem auro patenam, diuinitatem Christi intelligamus, quæ tanto est creaturis omnibus, imò multò magis præstantior, quantò aurum metallis omnibus pretio non comparatur. Vnde & magorum auri oblatio solet à viris sanctis ad diuinitatis confessionem referri. Quod igitur ab initio quidem Missæ, sicut vinum in calice, ita panis in patena locatur, & post passionis memoriam rursum in patena panis consecratus reponitur, demóstrat, quòd in Christo semper coniuncta fuit cum humanitate diuinitas. Verùm ipso tempore, quo passionis Christi memoria fit, in patena panis nó conspicitur: quoniam qui prius cùm operaretur miracula quasi Deus agnoscebatur, post Iudæorum contradictionem istam talem grauissimam, à cunctis penè, quasi infirmus tantùm homo fuit habitus, vt pote qui

Matt.27.

Matt.2.

in cruce affigi & occidi ſe permiſiſſet, quod non intelligentes homines, eſſe putabant euidens puræ in eo humanitatis teſtimonium. Verùm poſtquam cum terræ motu, ſolis obſcuratione, & clamore valido, ſciſſo templi velo, ſic expiraſſet, tunc iterum audita eſt confeſſionis vox, dicentium. Verè Dei filius erat iſte, tunc iterum reſumpta eſt diuinitatis de Chriſto exiſtimatio. Vt itaque oſtẽdat ſancta eccleſia, quoniam etiam tunc cùm velut infirmus homo patiebatur, à diuinitate nunquam fuit derelictus neque deſtitutus, quæ ſemper cum eo & in eo erat, patenam iubet palam ante oculos omnium toto illius myſterii durationis tempore ſine fatigatione teneri, vt ipſa re palàm confiteatur, quo ſecundum fidei rectitudinem credit.

Luc.23. *Mar.15.*

De eleuatione vocis facto ſilentio dicendo, Per omnia ſæcula ſæculorum.

CAPVT LIIII.

RVpto verò ſecreto præcedentis ſilentii vocem eleuat ſacerdos, cantans. Per omnia ſęcula ſæculorum, quoniam poſt paululum, qui dormierat in ſilentio, exurrexit à ſomno, & apparuit diſcipulis ſuis. Gaudium enim dominicæ reſurrectionis

Mat.28.

post sepulturæ mœrorem, significat vocis ista eleuatio. Cui mox pacis imprecationem adiungit, quam saluator resurgens à mortuis frequenter legitur obtulisse discipulis, quando in medio eorum stans, dicebat, pax vobis. Neque ob aliud passionem voluit mortis subire, quàm vt pacem faceret nobis ad Deum, qui per peccata nostra ab eo fueramus diuisi.

Ioan.20. *Esai.59.*

De fractione hostiæ in tres partes, & trino crucis signo super calicem facto.

CAPVT LV.

SAcerdos autem, hostiam in tres partes diuidit, (id est, species hostiæ quæ apparent oculis) vt in fractione panis cognoscamus Dominum, sicut illi duo Discipuli agnouerunt, quibus ipsa die resurrectionis Dominus apparuit, euntibus in Emaus. In tres autem partes diuiditur, vt sanctæ trinitati assignetur sacra hostia, vel in memoriam triplicis status hominum, ad quos hæc oblatio spectat, de quo suprà diximus. Prima itaque pars, quæ est cæteris maior & dupla, pro illorum assignatur honore & gloria, qui cum Christo beati, de eius plenitudine satiantur. Altera pro illis, qui licet in charitate discesserint, ad plenam ta-

Luc.24.

men purgationem eorum quæ ſecum detulerunt, in locis purgatoriis detinentur, quibus veniam peccatorũ per oblationem noſtram obtinere poſcimus, & hæc cum priori parte, ſuo quodam modo counitur. Speramus enim venia impetrata, illos cum primis beata ſocietate coniungi. Tertia autẽ nondum coniungitur, ſed in calicem demiſſa commiſcetur ſanguini, qui eſt in eo. Significat enim eos, qui adhuc in via peregrinãtes, à beatorum abſunt ſocietate diuina nõdum fruitione oblectati, nondúmque participes gloriæ Chriſti effecti, ſed configurantur adhuc ſimilitudini mortis & paſſionis eius donec verſantur in corpore. Ideóque in ſanguine intingitur hæc oblationis particula. Quoniam niſi ſocii modò fuerimus paſſionum, & communicantes paſſionibus eius, reſurrectionis gloriam non dabitur nobis aſſequi. Quibus autem prima pars aſſignabatur, extra calicem ſunt, quoniã neque luctus, neq; clamor eis erit vltrà, neque vllus dolor, quæ prima abierunt, innouatis omnib9. Secũdi quoque ordinis defunctorũ ſpiritus, optamus venia donatos in eadem ſtatim fœlicitate coniungi, propter quod, hæ duæ partes extra calicem ponuntur, tertia ſola in calicem demittitur.

2. Cor. 6. *Philip. 3.* *2. Cor. 1.* *Apoc. 21.*

Significat tamen etiam panis iſta & vini commixtio, vnionem corporis & animæ in Chriſto, quando poſt reſurrectionem corpus iterum cum anima coniunctum fuit diuina virtute, vt non videret caro eius corruptionem. Nam panis ad carnem, vinum autẽ refertur ad animam. In ſanguine enim (qui ſub ſpeciebus eſt vini) vita eſt, & ſanguinis effuſione, vita tollitur. Quòd verò ſuper calicem dicendo, Pax domini ſit ſemper vobiſcum, tres cruces fiãt per eam, quæ in calicem eſt immittenda, particulam, intelligi poteſt, quòd virtus trinitatis animam Christi reduxit ad carnem. Sola enim diuina virtute factum eſt, vt ad carnem reuerſa fuerit anima, quod naturæ virtute fieri nullo modo poteſt. Siue ad triplicem pacem, quæ eſt à Deo, denotandam. Siquidem pacem temporis, quantum expedire ipſe nouit largitur ſuis fidelibus Deus. Et pacem pectoris in gratia ſua, petentibus tribuit. Pacem verò illam vẽturam æternitatis ſuo tempore donabit omnibus ſe diligentibus.

Pſal. 15.

De agnus Dei.

CAPVT LVI.

STatim ad gloriam aſcenſionis memoria gaudentis eccleſiæ tranſcurrit, dicendo. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, & poſtremò, dona nobis pacem. Ad dandam enim pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, & faciendam pacem hominibus apud patrem, intercedendo pro peccatis populorum, vtq; fidelis eſſet pontifex & mediator, Deus illum ſuſcitauit à mortuis, & principem & ſaluatorem exaltauit. A memoria ergo reſurrectionis, ſub huius voce cantici tranſitus factus eſt ad gloriam aſcenſionis. Vox enim iſta, populi ſupplicantis eſt ad Chriſtum in dextera patris exaltatum poſtulantis veniam & miſericordiam ac pacem, ab eo cui iam data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, quíque conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum, in cuius ſolius nomine peccatorum remiſſio & ſalus nobis annuntiatur dicente Petro, quia hunc conſtituit Deus iudicem viuorum & mortuorum, ac iuſſit prædicari nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum, eo quòd non ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Hebr.3. *Mat.28.* *Act.10.* *Act.4.*

De osculo pacis quod datur ante Eucharistiæ sumptionem & communionem.

CAPVT LVII.

POST verò pacis precationem, ante Eucharistiæ perceptionem, religiosa consuetudine legatum nobis à sacerdote damus & accipimus inuicem pacis osculũ gaudentes, atque hoc cõmemorantes, quia reconciliati sumus Deo, per mortem filii eius, in cuius memoriam istud sacramẽtum celebramus, nosq; colligari debere signãtes osculo pacis, quod est vinculũ perfectiõis. Neq; enim decẽs neq; fas est in terris diuidi, qui in cœlis eũdẽ habent patrem, dominũ redẽptorẽ atque iudicem, qui est in dextera patris de cętero expectãs, donec omnes nos qui modò in pace agimus, in vnũ sibi feliciter coniungat.

Roma.5. *Col.3.*

Notandum verò, quòd in primitiua Ecclesia singulis diebus, qui Missæ celebrationi intererant communicare solebant, quod excrescẽte fidelium multitudine, mutatum est tali instituto, vt diebus tantùm cõmunicarent dominicis, postmodùm autem, quia nec hoc potuit dignè obseruari, inuentum est remedium, singulis diebus pacis osculum daretur pro Mysterio vnita-

tis. Quòd verò ad ſignificationem pertinet, oſculi huius à ſacerdote ad vniuerſos legatio, ſpirituſſancti Miſsione commodè & propriiſsimè repræſentat. Chriſtus enim poſtquam aſcendit in cœlos, non poſt multos dies promiſſum diſcipulis miſit ſpiritum ſanctum. Cuius miſsio, bene per oſculi legationem ſignificatur, quoniam ad dilectionem vtrúq; pertinet. Oſculum enim charitatis ſignum eſt, quę diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Cantus autem quem communionem dicimus, quem poſt cibi ſalutaris ſumptionem canimns, gratiarum actio eſt, iuxta illud, Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.

Actu. 2. *Roma. 5.* *Pſal. 21.*

De collecta nouiſsima.

CAPVT LVIII.

Collectæ quæ dicũtur ad cõplẽdũ, orationes ſedẽtis in cœlo capitis noſtri Ieſu Chriſti ſignificãt qui mortuus eſt (vt ait Apoſtolus) imò qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis, interpellat enim pro nobis pontifex ſumm⁹, qui nos per id quod eſt ſimilis no-

Rom. 8

ſtri reconciliat, & per id quod æqualis patri, abſoluit. Quemadmodum enim nobiſcum in carne viuens mortali, non ceſſauit orare ꝓ ſalute generis humani, ſic & modò mediatorē ſe exhibere & aduocatũ nõ deſinit, põtifex fidelis, à Deo nobis datus, Hebr.2. vt repropiciaret peccata populorum.

De Benedicamus Domino, vel, Ite miſſa eſt, & de vltima ſacerdotis benedictione.

CAPVT LIX.

Finita verò collecta, ex iuſſu ſacerdotis diaconus cãtat, Benedicamus Domino, populum ad gratiarum actionem pro acceptis & rememoratis beneficiis adhortans, aut (ſi feſtiuitas ſit) verſus ad populum. Ite miſſa eſt, feſtiuiter modulatur, quia ſaluator in cœlis agens, quotidie verbi ſui miniſtros, prædicatores & Apoſtolos mittere non deſinit, quibus per ſpritum ſanctum Mar.vlt. ſuggerit, quæcunq; docẽda fuerint. Quod enim olim à nobis ſcandens ſemel feciſſe legitur, mandans Diſcipulis vt euntes prædicarent Euangelium omni creaturæ, idem quotidie ſpiritu ſancto quos vult aſpirans,

non dubitatur ſimiliter peragere, vſque ad conſummationẽ ſæculi: Vltima verò ſacerdotis benedictio quam cantante diacono parat, moxq́ue finito cãtu viſibili ſigno exhibet ad populum verſus, ſignificare poteſt, quomodo Apoſtolis olim & etiam nunc prædicatoribus à Deo miſsis, ſemper adeſt vſque ad cõſummationẽ ſæculi Chriſtus dominus, qui illis plantantibus atq; rigantibus ſua ſpirituali ac cœleſti benedictione operatur interius, vt creſcat & fructificet verbum Dei, quoniam inanis eſt labor ſerui miniſtrãtis, niſi adſit interior operatio Domini viuificantis. 1. Cor. 3.

De priuata Miſſa.

CAPVT LX.

QVanquàm verò plurima ex iis quæ ſupradicta ſunt ſignis ac cęremoniis, non niſi ſolennibus ac publicis Miſſarũ celebrationibus congruunt, quemadmodum illa ſunt, quæ de diacono ac ſubdiacono, deq́ue miniſtris ceroferariis, de thuribulo & incenſo diximus, atque his ſimilia, quæ in miſſa priuata non ſolẽt obſeruari. Itemq; de Antiphona ad introitũ cãtãda priuſquã

ſacerdos procedat Kyrie eleeſon à choro decantando, ac inchoatione hymni angelici & chori proſequutione, & cætera plurima, quæ non ita in priuata Miſſa vt in publica obſeruantur, cùm ipſe per ſe ſacerdos hæc omnia perficiat. Hæc atque alia multa quanquàm priuata Miſſæ celebratio nõ cõtineat, habet nihilominus etiam ipſa congruas atque ſufficientes pro ſuæ durationis exigẽtia ſignificationes, quibus totũ Chriſti Myſteriũ, incipiendo à natiuitatis exordio vſque ad mortis paſsionem, & reſurrectionis glorificationẽ, aptè & propriè admodùm repræſentetur. Quæ cùm eædem ſint, quæ & in Miſſa publica atque communi ſolitæ ſunt obſeruari, ſuperfluum iudicauimus repetere, ne nimia prolixitate ac earundem rerum frequenti iteratione efficiamur oneroſi. Nunc verò ad ſacratiſsima Canonis verba explicanda, in quibus ſpiritu ſancto dictante magna repoſita ſunt & latent ſacramenta, aduertamus animum, & calamũ Deo ductore dirigamus. Quæ quia per noſipſos plenè eruere nõ ſperamus, venerabilis Epiſcopi Odonis verè diuinã expoſitionem primam duximus proponẽdã, deinde & nos pro noſtra tenuitate, ſi quid fortè adhuc relictum fuerit, quod vel cla-

Habet etiã Miſſa priuata ſufficiẽtes cæremonias & ſignificationi congruas.

rius vel explicatius pro ſimpliciorum captu dici potuerit, cum humilitate & modeſtia adiicere audebimus, fiduciá habétes in auxilio gratiæ illius, qui ſemper adeſt pro ſui nominis gloria, & fratrum vtilitate laborantibus Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui ſine fine cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS TRACTATVS

de expoſitione Myſteriorum quæ in ſanctiſsimo Miſſæ officio ex ordinatione Sanctorum Patrum geruntur.

SACRI CANONIS MISSAE DVPLEX EXPOSITIO.

Altera viri vetuſtate, religione, & eruditione venerabilis Odonis, quõdam eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopi, quatuor diuiſa diſtinctionibꝰ, Altera fratris Frãciſci Titelmãni, poſt ſingulas diſtinctiones expoſitionis prioris, propter ſimpliciores quoſque, velut in ſupplementum adiecta.

Præfatio in Tractatum Domini Odonis Cameracenſis Epiſcopi ſuper Canonem Miſſæ.

ODO Cameracẽſis Eccleſię miniſter indignꝰ, Vuilbodoni dilecto filio ſuo, ſub venerabili abbate Haſliginẽſi Fulgẽtio, dominicis caſtris militanti, ſalutem. Præſumptiõis argui timeo, quòd auſus ſum rem difficilem contingere, & extendere conatus in alta profunditate, ſcilicet exponere Canonem altaris, & probare tanta myſteria, ſicut ſcriptum eſt. Altiora te ne quęſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed

Eccle. 3.

quomodocũq; me iudicent alii tu ſcis frater, quanta precum inſtantia me viciſti, vt tantum onus ſuſtollerem, magis credẽs adiuuari deuotione & precibꝰ tuis, quàm mea virtute. Impium enim erat tanto deſyderio non acquieſcere, etiam ſi vires excedat, & iudicaui magis ſub faſce ruẽdum, quàm tibi omnino contradicendum. Itaque confiſus in dei auxilio, vt tuis precibꝰ tibi cœpi prȩſens apud te, & abſens perfeci ſine te. Oro autem vt Textus cuiuſque capituli præſcribatur expoſitionis totius, ne citò præſumãtur additiones, vel detractiones, vel mutationes in ſacro Canone, quod nephas ducimus fieri, ſine Romano Pontifice. *Nota attentè.*

TEXTVS CANONIS
Diſtinctio prima.

TE igitur clementiſsime pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum dominum noſtrum, ſupplices rogamus ac petimus, vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hȩc ſancta ſacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus ꝓ eccle-

ſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum vnà cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro N. & Rege noſtro N. & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.

DOMINI ODONIS
Expoſitio.

QVia dignũ & iuſtum eſt nos tibi agere gratias, te igit̃ clemẽtiſsime pater rogamꝰ, vt à nobis ſacrificium accipias. Et quia noſtras voces ſupplici cõfeſsione admittis, te igitur clementiſsime pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum ſupplices rogamus, & reale ſacrificiũ acceptari, vt laudes vocum ſubſtantiale ſequatur ſacrificiũ. (Rogamus & petimus) Rogatio oſtendit humilitatem, petitio confidentiam. Qui aliquid implorat, humilitatem debet oſtendere, & de imperatione confidere. Itaque ſupplices rogamus: confidenter petimus. Vnde ſcriptum eſt, Petat à Domino nihil hæſitãs.
Iacobi.1. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris,
Mar.11. Et iterum, Quicquid credentes petieritis,

accipietis (Vti accepta habeas & benedicas) Accepta, id eſt, grata & placita. Accepta habeas, culpis noſtris data venia, nō offenſus, imò noſtra deuotione placatus. (Et benedicas) multiplicãdo gratiã, augẽdo dignitatẽ, imò cõuertẽdo in excellẽtiſsimam immortalitatis & incorruptionis naturam. (Hæc dona) Hæc dona, quæ tibi donam⁹, vt tibi maneant per tuã benedictionẽ firmata, hęc dona quæ tibi donamus, vt apud te cõſiſtant per tuã benedictionẽ incorrupta. Hæc dona, quæ tibi donamus, vt fiant tibi Deus aſſumpta. Siquidẽ verbũ caro factum eſt (Hæc munera (Solemus illos munerare, à quib⁹ aliquid molimur obtinere. Hæc munera, quib⁹ te in pane terreno muneramus, vt obtineamus eum cœleſtẽ. Hęc munera quibus in corporali cibo te muneramus, vt alimẽtũ inde ſpirituale cõſequamur. Hæc munera, quibus te muneramus in ſubſtãtia panis & vini, vt percipiamus inde corpus & ſanguinem Chriſti. (Hæc ſancta ſacrificia illibata) Sancta, quia Deo oblata. Illibata, quia adhuc integra & intacta. Neque enim cõtingi debẽt donec ſumpſerint vim ſpiritualẽ, & cõuerſa fuerint in Chriſti corpus & ſanguinem. Nam prius ſumpta, corpus tantùm paſcerent. Vnde quidã ſu- *Iacobi.1.*

perioribus adiungũt quod ſequitur, ſic diſtinguendo, illibata in primis, id eſt, intacta, primùm quouſque diuina benedictione munita, ad ſalutem ſumantur animæ & corporis. Et hoc verbo admonemur, vt appoſitus panis integer ſit, & nulla fractione vel læſura violatus (in primis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica) in primis, quod ſuperioribus iungitur ſecundùm prædictum ſenſum, iungitur etiam inferioribus, ſignificando quod offeramus hoſtiam primùm pro tota eccleſia, deinde pro aliis quæ ſequuntur. (Quam pacificare) ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus, vt nec hominum perſecutionibus conculcetur, nec inſtinctu dæmonum criminibus polluatur (Cuſtodire) in ipſa pace. (Adunare). Ne ſchiſmatibus vllis & hæreſibus diuidatur, ſed in vnitate ſacramentorum catholicæ fidei, in omnibus tota adunetur eccleſia. (Et regere digneris toto orbe terrarũ) vt in ſuis conſiliis diſpoſitionibus, iudiciis, decretis, inſtitutis, actionibus nullo decipiatur errore, & in omnibus tuo ducatur moderamine. (Vnà cum famulo tuo Papa noſtro, & Antiſtite noſtro, & Rege noſtro, & omnibus Orthodoxis, atque Catholicę & Apoſtolicę fidei cultoribus.)

cultoribus.) De toto deſcenditur ad partes. Vt cùm in primis pro tota eccleſia, oratio fieret, poſteà de ſingulis ſoliciti ſimus. Alio nanq; tota eccleſia eget regimine, alio ſingulæ eccleſiæ, & alio ſinguli homines. Alia cura rebus eſt exhibenda publicis, alia priuatis. In tribus autem perſonis pro quibus orandum propoſuit, hoc obſeruandum videtur, vt pro Papa vero, & Antiſtite, & Rege, orent reliqui Preſbyteri. (Orthodoxis) id eſt, vita & doctrina glorioſis, quorum fama dilatatur in populo, merito vitæ & doctrinæ. (Fidei cultoribus) nõ fidem tantùm habentibus. Aliud eſt enim fidem habere, & aliud fidem colere. Fidem colit, qui ſtudet & intendit ſecundũ fidem viuere, cùm multi fidem habeant, qui hoc non faciant. *Quis fidei cultor.*

ADDITIO F. FRANCISCI TITELMANNI.

QVIDAM non ſine myſterio exiſtimant factum, vt à litera T (quæ crucis Chriſti figurá exprimit) Canon initium ſumeret, propterea quòd ab hoc loco paſſionis dominicæ ſpecialior ha-

beatur memoria, vt in ipſo ſtatim veſtibulo partis huius (quæ eſt inter cæteras miſſæ partes præcipua) admoneamur eius mortem recolere, eiúſque paſſionem deuotè meditari, qui pro nobis in ligno ſecundum eiuſmodi formam ſuſpenſus, factus eſt maledictum, vt nos à maledicto liberatos, verè ſempiternæque benedictionis participes efficeret, Quod annotamen tum quoniam neque pietati aduerſatur, neque propoſito malè conuenit, iure non videtur improbandum. (Igitur) coniunctionem hanc, plerique velut cauſalem ac rationalem accipiunt, vt ſit ſenſus. Quia dignum & iuſtum eſt nos tibi agere gratias, igitur te clementiſſimè pater rogamus, vt accepta habeas, &c. Aut cum mox præcedenti angelorum hymno continuando ſermonem, hoc pacto. Quia ſanctus es domine Deus Sabaoth, cuius maieſtate & gloria, pleni ſunt cæli & terra, ob hoc te ſupplices rogamus, vt cùm nihil per ſe dignum tibi poſſimus ex nobis offerre, tu hæc ſacrificia per Chriſtum pater accepta, placitáque habere digneris. Poſſet nihilominus eadem coniunctio, tantùm continuationis gratia appoſita dici (quod frequenter & alia fieri ſolet) vt nec rationa-

Galat.3.

lis ſit,nec cauſalis, ſed tantùm connexionis & continuationis partis huius cum præcedentibus cõiunctionale indicium (Clementiſſime pater) Apud homines mos eſt, vt qui impetrare quippiam velit ab alio honorificis illum blandíſque compellat appellationibus, Sic & nos magna à Deo petituri, ad beneuolentiam captandam patrem clementiſſimum nominamus. De patris autem nomine illud eſt aduertendum, quoniam frequenter cùm Deum patrem dicimus, ad totam trinitatem ſermonem referimus, veluti in oratione dominica, nõ ad patris perſonam tantùm, ſed ad totam trinitatis ſubſtantiam, Pater noſter in ſpiritu clamamus. *Matt, 6.* Nonnunquam autem ſolam patris perſonam reſpicit hæc appellatio. Idque tunc potiſſimum cũm filii nomen iuxta poſitum, ad eiuſmodi intelligentiam nos compellit. Iuxta quemadmodum in propoſito magis accipimus, eo quòd ſubſequatur, Per Ieſum Chriſtum filium tuum. Non enim habet eccleſiaſticæ loquutionis norma, vt dicamus Chriſtum, vel verbi, vel ſpirituſſancti filium eſſe, niſi patris tantùm (per Ieſum Chriſtũ filium tuum.) Et illud obſeruari eſt ſolitum, vt cùm magnum aliquid poſtulandum ſit, id quod clariſſimum exiſtimatur iſ,

à quo fit poſtulatio, interponant homines, quo ſic & gratior ſit per illum poſtulatio, & facilior fiat exauditio. Quid verò vſquam Deo patri charius potuit, aut amabilius quicquam offerri, quàm ipſe qui in ſinu eius requieſcit ab æterno, vnigenitus filius eius? Hic eſt enim ille, de quo ex nube ſuper aquas primùm, deinde & in monte te-
Ioan.1. ſtimonium, ipſe perhibuit dicens. Hic eſt
Matt.3. filius meus dilectus, in quo mihi compla-
Matt.17. cui. Quem modum ſancta prudénſque ſeruat eccleſia, in omnibus quas pro filiis, próque membris ſuis facit poſtulationibus, quoties eas ad patrem dirigit, per filii interpoſitionem, vt concludat, dicendo. Per
Ioan.1. dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, quomodo per ipſum nobis, & gratia, & veritas, & cætera omnia verè bona, à pa-
Ioan.1. tre procedunt. (Ná teſte magno illo Theologo) de eius plenitudine accepimus omnes. Hanc verò orationis formam ad impetrandum efficacem, ipſe nos Dei filius (ſi rectè aduertimus) edocuit, cùm ſuos diſci-
Ioan.14. pulos relicturus, eis dicebat. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio (Ieſum Chriſtum.) Qui poterat ad impetrandum, quæ ſalutis ſunt aliud

interponi efficacius eo nomine, in quo solo salus data est hominibus? Neque enim (Petro affirmante) aliud nomen datum est sub cælo hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Et quid rationabilius quàm per saluatoris nomen (quod est Iesus) salutem, & quæ sunt salutis, deposcere? Quid congruentius ad exauditionem faciliorem interponi potuit, nomine eius qui est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus? Christi autem nomen (quod vnctus interpretatur) illud nobis significat, quod de eo apud Prophetam legimus, Spiritus domini super me, eo quòd vnxit me. Ipse est enim quem pater vnxit plenitudine spiritus sui sancti, quem illi dedit non ad mensuram, vt de eius plenitudine ad mensuram participaremus omnes, quicunque credimus & petimus in nomine ipsius (Filium tuum Dominũ nostrum.) Hæc duo pariter coniungentes, simulque & Dei patris filiũ, & nostrum Dominum confitentes, Christi potentiam, & nostrã exprimimus fiduciam. Quia enim patris est filius, nihil dubium quin apud illum valeat plurimum, mereatúrque exaudiri pro sua reuerentia, saluare quoque imperpetuũ potens, patri assistens pontifex & sacerdos noster, ad repropi-

Actu.4
1.Tim.2.
Esai.61.
Ioan.3.
Hebr.7.
Hebr.9.
Hebr.2.

ciandū peccata nostra. Quia verò ipse idem noster est Dominus, fiduciam habemus, quòd humiliter supplicantes seruulos suos exaudire non dedignabitur, pro quibus etiam mori non dubitauit. (Supplices rogamus ac petimus) id est, suppliciter rogando petimus. Et rectè quidem non petimus tantùm, sed rogamus simul & petimus. Sunt enim qui petunt, & nō accipiūt, quia non rectè petunt vt oportet, vtpote qui in superbia petunt, aut in vanitate cordis sui. Nos autem rogantes cum humilitate, quæ sunt salutaria per Christum petimus, fieri non potest quin exaudiamur. Quid autem sit quod petimus, in subsequenti serie ostenditur. (Vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.) Sunt quidem hæc per venerabilem episcopum in expositione præmissa diligenter satis atque fideliter explicata per singula. Illud tamen adiiciendū videtur non superfluè, quod precatio hæc differenter vel ad ipsas quæ in altari repositæ sunt oblationes, vel ad eos qui offerunt, & pro quibus offeruntur, referri potest. Qantum ad ipsa quæ in altari reposita sunt (nempe panis & vini substantiam) precamur Deum, vti hæc quæ ei per se pla-

Panis & vinū per se nō accepta sūt, sed fiunt per benedictionem.

citaeſſe non poſſunt, multò etiam minus quàm veteres illæ taurorum & vitulorum hoſtiæ, cùm ſint corporalia tantùm atque etiam inanimata dignetur benignè acceptare, & ex illis per nos vt potuimus oblatis, benedictionem omnipotentis dexteræ ſuæ acceptabilem ſibi, nobíſque proficuam hoſtiam corporis & ſanguinis efficere, per tranſſubſtantationem panis & vini in corpus & ſanguinem filii Dei, atque hanc intelligentiam expoſitio ſuprà poſita prætendebat. Quantum verò ad noſipſos qui offerimus, ea haberi petimus accepta, vt de manibus noſtris, quæ ex gratia eius nos oblaturos confidimus placidè accipiantur, ante conſpectum deitatis ſuæ. Et ea benedici optamus, vt nos ea offerentes benedictionem cœleſtis gratiæ conſequi per oblationem mereamur. Quanuis enim ſemper altaris hoſtia Deo patri per ſe ſit accepta, de cuiuſcunque ſacerdotis manibus, quantumuis peccatoris fuerit oblata, ipſáque patris benedictionibus ſemper ſit pleniſſimè plena, ex offerentium tamen parte, frequenter contingit, quæ offeruntur, licet ſacratiſſima dona, eſſe inaccepta Deo, & ſuper offerentes, pro benedictiſſimis hoſtiis venire fulmina maledictionis. Quemadmo

Hoſtia p ſe grata quandoque propter offerentis malitiam ſit inaccepta

dum laus Dei, ipſa quidem in ſe ſemper eſt Deo grata & optimè placita, quoniam ſacrificio laudis (teſte Pſalmiſta) honoratur Dominus. Attamen (alio ſapiente atteſtante) nõ eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Quoniã igitur ipſi qui offerũt ſacerdotes, homines ſunt circundati infirmitate, non pœnalitatis tantùm, ſed etiam peccati, verentes pro indigna ſanctiſſimarum oblatione hoſtiarum, maledictione feriri, oratione periculum declinare ſatagunt poſtulantes per Ieſum Chriſtum, vt à peccatis emundati, & omni ſpirituali gratia adornati eas quas oblaturi ſunt hoſtias, dignè queant offerre, vt Deo fiant acceptæ, ſicque pro placita oblatione deſideratam queant obtinere benedictionem. (Hæc dona, hæc munera.) Et hæc à diuerſis diuerſam accipiunt interpretationem. In præmiſſa enim expoſitione, tam dona quàm munera à nobis ad Deum audiuimus referri, quoniam videlicet ea quæ in altari ſuperpoſita ſunt, Deo donamus, & pro munere offerimus: vt pro corporalibus accipere mereamur ſpiritualia, quæ iam non corpus paſcant, ſed ſpiritum non

Pſal.49. Eccl.15. Pſal.49. Hebr.5.

ventrem, sed mentem. Alii verò nō minus aptè hanc faciunt distinctionem, vt dona à Deo erga homines, munera verò ab hominibus erga Deum intelligantur. Quæ enim in altari superponuntur, per verbum & benedictionem Dei, siue ante consecrationem transsubstantianda, siue post consecrationem fœliciter & mirificè iam transsubstantiata, vtique dona Dei sunt, à quo omne datum optimum, & omne donū perfectum descendit. Nos autē quæ ab optimi domini liberalitate dona suscepimus, munera illi offerimus, quemadmodum de muneribus Abel in scriptura legimus. Ex donis enim eius munera illi paramus, vouemus, dicamus atque offerimus. Quid enim habes homo, quod non accepisti? Aut quis prior dedit illi, vt retribuatur ei? Cuncta enim quæ in cælo sunt & in terra, tua sunt. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, damus tibi (Sancta sacrificia illibata.) Eadem ipsa quæ prius dona dixit à Deo nobis data, iterumque per nos tanquā pauperes seruulos Deo omnium largitori præsentata, tertio hoc loco sacrificia nominat, quatenus per sacerdotum manus, ad diuini honoris protestationem, ipsi vt soli vero Deo & vniuersali omnium domino,

Iacob.1. *Gene.4.* *1.Cor.4.* *Rom.11.* *1.Para. 26.*

non præſentantur modò, ſed conſecrantur & offeruntur. Plus enim aliquid ſacrificii in ſe vocabulum habet, quàm minus. Nam munera, etiam diuis & ſanctis ſpiritibus offerre licet. Sacrificium autem præterquá vni Deo facere nequaquam eſt licitũ. Sunt autem hæc ſacrificia, etiam ante factam conſecrationem ſancta quatenus Deo & diuinis rebus dedicata, humaníſque vſibus interdicta, vt operetur in eis virtus Dei mirabilia. Quare autem illibata dicantur, ſuprà vtcunque expoſitum eſt. Clariori tamen & ſimpliciori intelligentia dici poſſunt illibata, quia immaculata. Solemus enim illibatum dicere, quod nullo eſt contactu viciatum. Quod ſi ad ipſam panis & vini ſubſtantiam ante conſecrationem refertur, rectè poteſt intelligi de eo, quòd panis ille ex eccleſiaſtica ſanctione, integer, purus, & ſine macula, omníque corruptione eſſe debet. Vinum ſimiliter, omnis expers corruptionis, quod in ſanctiſſimũ Domini ſanguinem, diuina virtute debeat conuerti. Si verò ad id quod poſt cõſecrationem futurum eſt reſpicitur, difficile non intelligere, quomodo agnus ille immaculatus pro nobis hoſtia factus, ſacrificium immaculatum dicatur, (In primis quæ tibi offeri-

mus pro ecclesia tua sancta catholica) hoc est, quæ dona tibi offerimus primùm pro vniuersali omnium fidelium ecclesia, id est, pro omnibus simul in vna fide participantibus, vnumque corpus (cuius Christus caput est) cōstituentibus. Vbi notandū quòd non primùm sacerdos pro seipso solo peculiarem facit orationem, sed pro tota simul ecclesia: eo quòd non particularis ista sit actio, sed cōmunis, cùm sacerdos quicquid hac in re agit, in persona totius agat ecclesię, & omnium simul Christi fidelium. Propter quod etiā in plurali numero profert omnia, dicendo. Supplices rogamus, & petimus, Offerimus. Cōmnnicantes & memoriam venerantes, hísque similia, cùm tamen solus ipse secundum corporis executionem sacrificium facere conspiciatur. Neque verò se negligere putandus est, qui pro tota ecclesia orat, cuius ipse est membrum. Vtque enim potest non pro se orare membrum ecclesiæ, cùm pro suo corpore facit orationem. Neque ideo minus sibi valet ad salutē deprecatio, quòd secū omnia, sibi in eodem corpore coniuncta membra traxerit in orationem. Potens est enim Dei benignitas ditissima, benefacere cęteris pro quibus facta est oratio, & illi qui facit ni-

Ephe. 1.

Sacerdos suum sacrificiū in persona totius offert ecclesiæ.

Nota attentè.

hil præstare minus. Ecclesiam auté sanctam
phe.1. dicimus, participatione capitis Christi, qui eam in sanguine suo sanctificauit, & per spiritum suum sanctũ quem illi in arram futuræ hæreditatis, ad patrem regressus donauit, in
1.Cor.6. habitationem sanctam & templum sempiternum sibi totíque trinitati consecrauit, & in omnibus gratiis spiritualibus copiosissimè ditauit. Catholica verò nominatur, græco vocabulo, quod latinè vniuersalem significat, eo quòd per vniuersum orbem dispersa sit Ecclesia, quæ tamen in vno spiritu, citra corporalem concubinationem, in vnum corpus est copulata. (Quam pacificare, custodire, adiuuare, & regere digneris toto orbe terrarum.) Rogandus nobis est ante omnia Deus vt ecclesiam suam in pace sancta & verè bona velit componere, quoniã solus ipse Deus pacis est quam
Psal.126. præter eum dare potest nemo. Quia verò nisi dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilant qui illam custodire quærũt, à Deo
Psal.146 hoc poscitur, vt in vera pace suã ecclesiam ab omnibus vitiis & peccatis, quæ sola pa-
1.Cor.1. cem veram scindunt, custodire dignetur. At quoniam ipse est qui dispersiones Israëlis congregat, vt electos suos in vna fide, & (vt Apostoli verbis vtar) in vno sensu ca-

démq; fidei siue scientia siue sententia, perfectè adiuuare dignetur, sacerdotis postulat oratio. Deus enim dissensionis author non est, sed pacis & vnitatis, qui habitare facit vnanimes in domo. Et ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, quíque pacificauit per sanguinem crucis cœlestia simul & terrestria, quæ ab inuicem antè fuerant diuisa. Quia verò postremò quem dominus regit, nullum ille defectum patitur, dicente Psalmista, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, rogabatur omnipotés Deus, vt tanquá pastor bonus nos gregé populúmq; suum, & oues pascuæ suæ dignetur pascere semper & regere, vt inter tot huius sæculi procellas & fluctus, quibus vndequaque impellimur, in rectitudine semper fidei immobiles perseueremus. (Vnà cum famulo tuo Papa nostro, & Antistite nostro, & Rege nostro) iuxta formam à beato Paulo Apostolo descriptam, orationem suam cōposuit ecclesia. Sic enim ille Timotheo scribens, ait, Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate,

1.Cor.1 Psal.67. Ephe.2. Col.1. Psal.22. 1.Tim.2.

Secũdum quam præſcriptionem prius quidé pro tota eccleſia quæ ex omnibus Chriſti fidelibus componitur, facta eſt oratio, deinde particulatim pro iis qui ſunt in poteſtate cõſtituti. Poteſtas autem duplex eſt, nempe ſpiritualis & téporalis. Vtraque tamen à Deo eſt, quoniá non eſt poteſtas niſi à Deo. Spiritualis autem poteſtas, temporali dignior eſt atque præſtantior, quantò ea quæ ſpiritualia ſunt, rebus præſtant corporeis. Sunt autem in ſpirituali poteſtate Epiſcopi omnes conſtituti, quorum ſupremus eſt qui Romanæ præſidet Eccleſiæ, eo quod toti ſit Eccleſiæ vniuerſali, omnibúſque particularibus Eccleſiis, à Chriſto accepta poteſtate, legitimè prælatus. Qui, eo quòd omnium Epiſcoporum pater ſit, & prælatus omnibus, Papa, id eſt, pater patrũ nominatur, à verę obedientiæ fidelibus. Sic enim breuitatis cauſa, oratio illa pater patrum in vnam dictionem vtriuſque partis primam ſyllabam complectentem, cõtracta eſt. Pro hoc ergo patre patrum omniũ, qui eſt totius vniuerſalis poſt Chriſtum caput Eccleſiæ, & cui vniuerſalis Eccleſiæ cura diſpoſitióq; commiſſa eſt, præcipuè orare debet facturus Deo ſacrificium, eo quòd primum ſit & præcipuum eccleſiæ militátis

Nomen Papæ vnde dictũ ſit.

membrum. Post hæc, Diocesanus Episcopus in oratione subsequitur: qui eo quòd cæteris Presbyteris præpositus est, & ante illos constitutus in Ecclesiæ suæ regimine, Antistites nominatur. Tertium locum tẽporalis potestas ordinatè cõsequitur, quasi post parentes filius. Quantumuis enim magni sunt sæculi principes, si verè fideles sunt, Episcopis & summo Christi vicario, subiectionis filios sese exhibere debent. Attendat autem sacrificium facturus sacerdos, ne temporalis principis memoriam, eo quòd ordine postremus sit, & temporalium tantùm rerum administrator, inattentè prætereat, aut sine deuotionis attẽta recõmendatione pertrãseat. Solet enim ab huius bono pẽdere totius populi quẽ possidet, bonum: interdum non minus, quàm ab iis, qui in spiritualibus tantùm sunt præfecti. Quod in libris regum pluribus in locis nos vetus docet historia: quemadmodum semper cũ Rege populus, vel ad veri Dei, vel ad idolorum sese culturam dederit. Nec minus hoc ipsum nascẽtis Ecclesiæ sancta demonstrant initia, quãdo in omni pietate Principes, populis suis lucebant in exẽplum. (Et omnibus Orthodoxis atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus)

Antistes cur dicatur Episcopus Tẽporalis princeps nõ negligendus.

doxa græcum vocabulum vel gloriam significat, vel opinionem, iuxta quam diuersam acceptionem, nomen hoc in loco positum Orhtodoxus, duplicem habet interpretationem, nam à gloria ille Orthodoxus dicitur, qui fidei rectitudine, & vitæ veritate veram & rectam apud Deum & homines gloriam habet. Iuxta illud, Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Simplicius tamen videtur vt secunda acceptione Orthodoxus dicatur, ab opinione, qui rectam de fide Catholica tenet opinionem, id est, qui rectam & veram fidei sententiam tenet, déq; eius dogmatibus rectè per omnia sentit & iudicat, vt secũdum veritatem, quæ sunt credenda credat, quæ non credenda, respuat. Quod autem sequitur Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus, intelligi potest ad expositioné præcedentis vocabuli adiectum. Quisquis enim est Catholicæ & Apostolicæ fidei cultor, Orthodoxus est, & qui talis nõ est, Orthodoxus dici non debet. Colere autem aliquãdo venerari & reuereri significat, quéadmodum amicos colere dicimur, eis reuerẽtiam & amicitiæ obsequia præstando. Secũdum quã significationem, fidei cultor dicitur, is qui fidem quã apostoli tradide-

Orthodoxus quis & vnde dicatur.

2. Cor. 1.

Cultor fidei quis dicatur.

runt,& quam vniuerſalis tenet eccleſia(hęc enim Catholica & Apoſtolica fides dicitur)ſic reueretur & ſic ſe ei ſubiicit, vt ſine hæſitatione omnibus velit acquieſcere, & nullis cõtradicere,quæcunque ab Apoſtolis primis fidei noſtræ fundatoribus, atque etiam ipſis fundamentis, ad credẽdum ſunt tradita,& ab vniuerſali Chriſti fideliũ Eccleſia ſunt ex illorũ prædicatione recepta. Hæretici verò & ſchiſmatici,nõ catholicæ aut Apoſtolicæ fidei,ſed figmẽti ſui & diabolicę falſitatis,ſunt cultores.Quos rectius cacodoxos, id eſt, malè ſentientes, quàm Orthodoxos conuenit nominare.Propter quod etiam donec ad vnitatem redeant ſanctæ Apoſtolicæ fidei,oblationis Eccleſiæ participes fieri non poſſunt. Nonnunquàm verò & colere ornare eſt, ſiue etiam obſequium impendere: quemadmodum agricolas ſecundum figuram dicimus, qui agros colunt,eis videlicet ſuam præſtantes & operam & induſtriam, vt (ad quod natura creati ſunt) fructum bonum ferant. Secundum quam conſiderationem ſanctæ fidei illos poſſumus cultores nominare,qui ſuam fidem cõdignis & congruis operibus ſtudent excolere, opera Chriſti fide digna operantes. His enim potiſsimum Chriſti

Heretici minimè Orthodoxi.

Fidei cultor ſecundum aliã acceptionem.

conducit ſacrificium, qui in fide conſiſtunt
per dilectionem bonis operibus redimita,
atque ſtudio bonæ conuerſationis exculta.

TEXTVS CANONIS DISTINCTIO
SECVNDA.

MEMENTO Domine famu-
lorum famularumq́; tuarum.
N. & omnium circumaſtan-
tium, quorum tibi fides co-
gnita eſt, & nota deuotio,
pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offe-
rũt hoc ſacrificiũ laudis, pro ſe ſuíſq; omni-
bus pro redemptione animarum ſuarum,
pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibíque
reddunt vota ſua, æterno Deo viuo & ve-
ro. Communicantes & memoriam Vene-
rantes, in primis glorioſæ ſemper virginis
Mariæ, genitricis Dei & domini noſtri Ie-
ſu Chriſti. Sed & beatorum Apoſtolorum
ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, An-
dreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Phi-
lippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis &
Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti,
Cornelii, Cipriani, Laurentii, Griſogoni,
Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, &

omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, Per eundem Christum dominum nostrum, Amen. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ. sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine vt placatus accipias, Diésque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, Per Christum dominum nostrum. Amen.

DOMINI ODONIS EXPOSITIO.

PRIMA periodus hucusque protensa pro tota Ecclesia, omnibusque fidei cultoribus, orat. Secunda, quæ hic incipit, pro præsentibus se accingit, qui sancti sacrificii sunt astipulatores & cooperatores. (Memento Domine famulorum famularumque tuarum & omnium circumastantium) id est, Memento quidem eorum quos suprà proposui, id est, omnium Catholicæ fidei cultorum, tam masculorum quàm fœminarum,

& omnium circunſtantium, ſcilicet qui corporaliter aſſunt, ſanctorum cooperatores Myſteriorum. Neque enim tanta ſufficio ſacramenta conficere, niſi collectæ multitudinis adiutus oratione, quam prius etiam ſum hortatus ad orationes, dicẽdo, Orate fratres. Et ſicut prima periodus, à toto deſcendit ad partes, ita ſecunda hæc ab vniuerſali procedit ad particulare. Omnes verò circumaſtantes, particulariter ſequũtur, Et ne præſentibus interſint aliqui fidei præuaricatores, & vitioſæ vitæ, ſubiungitur. (Quorum tibi fides cognita eſt,) id eſt, qui probatæ fidei ſunt & depoſitionis apud te. Cognoſcere etenim Dei, approbare eſt. Aliter (Memento Domine famulorum famularúmq; tuarum.) Et quia conſequens in quibuſdam codicibus inuenitur, N. litera, aliquorum fieri memoriam nominatim, ſignificatur. Vnde quidam vſu tenent hoc in loco memorandi, quos chariores habent, conſequenter ſubiungentes. Et omnium circumaſtantium, vt facta memoria chororum abſentium, fiat & aſtantium. (Et omniũ circumaſtantium.) Cum primitus Miſſę ſine collecta non fierent, poſtea mos inuoleuit Eccleſiæ, ſolitarias & maximè in cœnobiis fieri Miſſas. Et cùm nõ habeant quam plu-

Sacerdos aſtãtium precibus iuuatur.

raliter collectam ſalutent, nec plurales mutare poſſunt ſalutationes, conuertunt ſe ad Eccleſiam, dicentes ſe eccleſiam in eccleſia ſalutare, & in corpore totum corpus alloqui, & virtute totius communionis in Eccleſia confici ſancta myſteria, per gratiam Dei, neceſſe quemquam alicubi fidelium, qui viuificorum non fiat particeps ſacroſanctorum, dum in corpore eccleſiæ adhæret capiti, velut vtile membrum. Secundum quem ſenſum in hoc loco circumaſtantes accipiuntur omnes vbique fideles, qui in vnitate totius corporis, & ſibi adhærent inuicem, & ſummo capiti, vt quicquid boni firt in toto corpore, ab eo nullo modo ſit alienus, quiſquis ab ipſo corpore non eſt diuiſus, ſed omne bonum cuilibet membro in ſalubrem ſuccum miniſtretur, vt totum corpus vegetetur à ſpiritu Dei. Et hoc modo repetitur oratio, quæ prius facta eſt pro omnibus catholicæ fidei cultoribus à ſolitariis, dicentibus frequenter iterandas orationes, vt ſaltem importunitate vincatur Deus. (Quorum tibi fides cognita eſt) id eſt. Ideò Domine memento omnium circumaſtantium, omnium ſcilicet fidelium, quia eorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio. Sic ſolitarii hunc locum intelli-

Nota attenté.

Qui debeant in miſſa priuata circũaſtãtes intelligi.

Offert ... a sacer-dote & populi deuotio.

gunt.(Pro quibus tibi offerimus,vel qui tibi offerũt.) Non ſolùm ſacerdotes & clerus(qui ſecundum diuerſos gradus diuinis occupantur officiis)offerunt,ſed etiam audientes, qui votis & orationibus aſsiſtunt cooperátes, & oſculo pacis communicant, tanquàm cõfirmantes quod actũ eſt. (Hoc ſacrificium laudis.) Verè laudis eſt diuinæ hoc ſacrificium, ſicut in hoc officio teſtati ſumus,dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Deo patri gratias agere, & cum laudibus angelicis precati ſumus noſtras voces admitti,(Pro ſe ſuíſq; omnibus)Pro nobis offerimus, quando ſacrificio poſcimus Deum habere, & tutorem contra pericula corporis & animæ, & propicium ad obtinendos ſucceſſus bonos in vtraque parte. Pro noſtris omnibus quando oramus pro amicis noſtris & rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando ſunt in bello, pro tranquillo reditu, ſi ſint in itinere, pro ſanitate, ſi in infirmitate decumbunt, pro conuerſione ſi peruerſè viuunt, & contra amicorum incommoditates, vt adiuuante Deo euadant.Pro rebus noſtris frequentes in libris miſſalibus inuenimus poſtulationes. Oramus enim tempore ſacrificii contra incẽdia, pro locis noſtris,cõtra nimiam

aëris ſiccitatem, vel tẽpeſtatẽ, pro fructibus noſtris, contra peſtẽ, pro animalib⁹ noſtris, cõtra alia damna, pro rebus aliis. Habemus enim ſecũdùm Apoſtolũ in Chriſto conſolationem præſentis vitæ & futuræ. (Pro redemptione animarũ ſuarũ). Hoc enim ſolũ ſacrificiũ quo redimi potuimus, cuius bonũ ſufficit contra noſtrũ malũ, quod magis eſt bonum, quàm peccatum noſtrum ſit malũ, & ideò maiori precio redemit nos à noſtro malo, (Pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.) Hoc ſacroſanctum ſacrificium, nõ ſolùm liberat nos à malis, ſed etiam accumulat nos bonis, non ſolùm nos eripuit à pœnis, ſed etiam auget gaudia ſalutis & incolumitatis. Salutis (inquam) æternæ animarum, incolumitatis, id eſt, incorruptionis perpetuæ corporum: & hoc eſt pro quo offerimus tam precioſum munus. (Tibique reddunt vota ſua). Offerendo ſacrificium laudis, reddunt tibi vota ſua. Aliter forſitan vota ſua nõ redderent, niſi tale ſacrificiũ offerrent. Adiuuantur ſacrificii virtute, vt vota queant reddere, Difficile eſt comprimere vicia, virtutes in habitum trahere. Sed vt & vota queant reddere ſancti, à Deo neceſſe habeant roborari. (Aeterno Deo viuo & vero). Ad differẽtiã falſorum 1. Tit. 4.

deorum & insensibilium, quibus gẽtes frustrà soluebant (Communicantes) Tibi offerunt sacrificiũ laudis, tibiq́; reddunt vota suã cõmunicãtes, Extra cõmunionẽ nãque non est locus offerendi Deo veri sacrificii vel vota soluendi. (Et memoriam venerãtes). Aliter Deo gratum non offerimus sacrificium, aliter Deo vtiliter vota nõ soluimus, nisi memoriam sanctorum veneremur. Qui enim membra Christi non honorat, nec Christum qui caput est honorare potest. Et qui non honorat filium, non honorat eum qui misit illum. Honoremus ergo caput in membris, Deum in sanctis suis: vt eorum meritis precibusq́ue in omnibus protectiõis diuinæ muniamur auxilio (in primis gloriosæ &c.) Vsque (Muniamur auxilio per eundem Christũ dominum nostrum) in veneratione sanctorũ hęc ratio custodienda est, vt primùm & super omnes beata Dei genitrix honoretur, secũdò Apostoli, tertiò sancti Martyres: inde alii sancti oẽs. (Hanc igitur oblationẽ) Quia hoc sacrificiũ tibi offerimus in corpore Ecclesiæ communicando, & memoriam sanctorũ venerãdo. Igitur hanc oblationem, precamur, vt placatus accipias, vt scilicet si peccatis nostris præpedimur, cõ-

Nota de sanctorũ venerationibus,

munione ſaltem ſanctæ Eccleſiæ & ſancto-rum tuorum veneratione placeris, ad acci-piendum quod tibi offerimus ſacrificium (Seruitutis) id eſt, cleri qui tibi ſecundum acceptos gradus in hac oblatione ſacrificii ſeruimus. (Sed & cũctæ familiæ tuæ) id eſt, totius aſsiſtentis collectæ. Solitarii ſic in-telligunt ſeruitutis noſtræ, id eſt, me cum meo miniſtro. Sed & cunctæ familiæ tuæ, id eſt, cunctæ Eccleſiæ. (Quæſumus domi-ne &c. Vſque grege munerari, per Chriſtũ dominum noſtrum.) Diéſq; noſtros in tua pace diſponas. Signanter tua poſuit. Eſt e-nim pax mundi, eſt & pax Dei. Pax mundi inutilis, pax Dei ſalubris. Pacem conſtituit mundus, vt liberè liceat vti voluptatibus. Pacem dat ſanctis Deus, vt mãdatis intenti diuinis ſecurè ſtudeant virtutibus.

Pax duplex.

ADDITIO F. FRANCISCI TITELMANNI.

MEménto Domine famulorum famularumq; tuarum. Non hoc dicitur quaſi non om-nium habeat ſciẽtiam Deus, cuius cognitioni patent ſi-mul omnes boni & mali: ſed iuxta ſcriptu-

rarum cõſuetudiné accipere oportet quod dicitur, Sic enim Eſdras propheta Deum multis in locis precatur. Meméto mei De⁹ in bonum, pro iis quę feci in operibus tuis. Et Pſalmiſta: Memento noſtri domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo. Deum enim noſtri meminiſſe, eſt oculo miſericordiæ ad nos reſpicere, & de nobis ad benefaciendũ cogitare: quemadmodum econtrario illorum dicitur obliuiſci, quibus ſecundùm occulta iudicia iuſtitiæ ſuæ, ſalutaris gratiæ ſuæ ſubtrahit beneficia. Alioqui & malorum memor eſt dominus, ſed illis quidem in malum, vt in eos vindictam exerceat vltionis, in tempore venturæ retributionis. Ergo clementiſsime pater oculo tuæ miſericordię reſpicere, & ad beneficia gratiæ tuæ elargienda, memor eſto fidelium tuorum, qui tibi in vtroq; ſexu deuotum exhibent famulatum, etiam ſi non in omnibus perfectum (quòd vel multis, vel paucißimis omnino hac in vita conceditur) vt fragilitatis humanæ memor & conſiderator, eorum adiuues imperfectionem: qui tibi & ſi non omnino perfectè ſeruiunt, in operibus tamen mandatorum tuorum deuotè famulari ſtudent. (Et omnium circumaſtantium)

Hiere. 2.8.13.

Pſal. 105.

Copulatur hæc particula non cum ea quæ ſecundùm exteriorem eloquutionem præcedere viſa eſt. Famulorum famularumque tuarum:ſed cum ea quæ in mente ſacerdotis latet abſcondita, ſub litera N. quæ hoc in loco ſolet poni intelligenda, hoc modo. Meméto domine famulorum famularumque tuarum, Meiipſius videlicet in primis, qui hiſce tuis ſanctis altaribus ex memetipſo prorſus indignus aſsiſto, & omnium qui mecum tibi ſacrificium hoc offerunt. Parentum quoque noſtrorum, ſiue qui nos ſecundùm corpus genuerunt, ſuiſque laboribus educauerunt, ſiue qui nos in fide ſancta & bonis moribus, inque honeſtis diſciplinis & artibus, ad ſeruiédum nomini tuo inſtituerunt. Eorum quoque, qui ſiue corporis ſiue animæ beneficia quælibet impenderunt, ſuáq; beneuolentia ſiue in corporeis neceſsitatibus, ſiue in ſpiritualibus bonis vllum præſtiterunt adiumétum. Eorum etiam qui ſe nobis quoquomodo aduerſarios & inimicos præſtiterunt, & ſiue verbo, ſiue opere, ſiue in nomine, ſiue in corpore, ſiue in aliis quibuſcúque vnquàm nocumentum quodlibet intulerunt, quibus ex animo dimittimus propter temetipſum omnia, ſicut & tu immeritis nobis dona-

Mod⁹ quidam ordinatè commemorãdi eos pro quib⁹ eſt orãdum.

ſti omnia peccata noſtra. Peculiariter quoque & eorum, quibus quomodocũq; ſiue verbo ſiue exemplo ſcandali occaſionem dedimus, aut quos in errorem induximus, vt tuæ virtutis potenti operatione, tu clementiſsime pater inſtaures, quod noſtra potẽs in malum deſtruxit peruerſitas. Singulorũ etiam pro quibus tu Deus nos orare obligatos cognoſcis, quorum nobis labilis memoria nomina particulatim nõ ſuggerit. Denique & omnium circũaſtantium, quorum tibi eſt fides mentis bene cognita, & cordis affectusque deuotio bene nota.

Circũaſtãtes. Circumaſtantes verò non eos ſolùm comprehendat ſacerdos, qui corporali adſunt præſentia (quos in miſsis, potiſsimùm priuatis frequenter paucißimos numero eſſe conſpicimus) ſed omnes eos, qui vna eadẽque fide cũ miniſtro ſacrificii ſacerdote cõmunicant, & Chriſto capiti adhærẽt. Miſſæ enim ſacrificium vniuerſale eſt, in quo hoſtiam vniuerſalem pro totius mundi delictis, & reconciliatione omnium offerimus.

Sacerdos pro omnibus debet ſacrificiũ offerre. Exiſtimare enim debet ſacerdos cùm ſacrificium offert Deo, medio totius populi fidelis, imò in mũdi totius medio, ſe cõſtitutum (etiam ſi ſolus ipſe cum miniſtro aſsiſtat altari) vt pro omnium conuerſione

qui extra gratiam ſub odio & ira Dei ſiue infidelitate, ſiue in praua cõuerſatiõe mortuæ fidei ſunt cõſtituti, Deum deprecetur. Pro omnibus verò qui in gratia vitam Deo placitam degunt, vt in iuſtitia ſua conſeruentur, & perſeuerantes vſq; in finem proficiant in omni bono. Qui autem in medio omnium hominum ſe poſitum credit, nihil dubium quin omnes vbicunque locorum conſiſtant homines, circũaſtantes reputet, tametſi enim huius ſacrificii communio ad eos certè ac præcipuè ſpectet, qui cum fide recta & vera cæteris fidelibus vt membris, & Chriſto vt capiti adhærent: propter charitatis tamen latitudinem (quæ ad omnes omnino homines ſeſe extendit) etiam peccatorum qui in hac vita degunt nouiſſim⁹ negligi aut cõtemni non debet. (Quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio) Secundùm fidei & deuotionis cuiuſque proportionem, fructus prouenit fidelibus ex altaris ſacrificio, vt qui fidei deuotiõe præcellit, ſpiritualis gratiæ ampliorem fructum recipiat: qui autem fide minor eſt, & deuotione tepidior, minus cõſequatur. Quãquã & fieri poteſt, vt qui prorſus nihil habet fidei, eorum qui offerunt fide & deuotione interueniente, gratiam Dei & illuminatio-

Nemo viuens ab vniuerſali Miſſæ ſacrificio ſecludi debet.

nem percipiat. (Pro quib⁹ tibi offerimus,) Nempe ꝓ omnibus hominib⁹, tametsi quibuſdam ſpecialius applicetur ſacrificãtis intétio. Cùm enim ſacerdotis oblatio in memoriam fiat illius ſemel oblatæ hoſtiæ, quæ pro ſalute omnium (vt omnes à maledicto abſolueret) in cõſpectu omnium pependit in ligno, debet ſe in hoc quoq; ſacerdos ei cuius agit memoriam cõformare, vt ꝓ omnibus ſecundũ in charitatis perfectã latitudinem ſuum offerat Deo ſanctũ ſacrificiũ, immaculatam hoſtiã. (vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis). Offerũt ſimul cum ſacerdote etiam cæteri fideles qui ſe ſpiritu cum eo coniungunt, ſicq; ei cooperãtur, quãquàm ſolus ipſe ſecundũ executionem exterius operari videatur ſacrificationis miniſterium. Quemadmodũ cùm manus quippiam agit, corpus totũ adiuuat, licet in ipſa ſola videatur operis executio. Quod enim ſpecialiter agitur miniſterio ſacerdotũ, pluraliter agitur voto fidelium. Sacrificiũ autem laudis rectè dicitur altaris ſacrificium, quia propter hoc maximè laudare Deum debemus, quòd non ſolùm ſe dederit pro nobis in precium, ſed etiam ſe dederit nobis in cibum, vt per precium nos redimeret à morte, per cibum nos aleret ad vitam.

Galat. 3.

Chriſtus noſtrum preciũ & cibus.

(Pro se suisque omnibus). Postulant non-
nunquàm pro seipsis homines, nõnunquàm
pro suis: Idq; licet pro suis parentibus, fra-
tribus, amicis, consanguineis, familiaribus,
propinquis, benefactoribus, 'aut etiam ini-
micis, aut quoquomodo specialiter nostræ
orationi commendatis, pro quibus secun-
dùm charitatis ordiné nõ est illicitum spe-
cialius facere in oblatione huius sancti sa-
crificii, memoriam & recommédationem.
Pro se autem, atque etiam pro suis hoc mo
do fit postulatio, non solùm quantũ ad ani
mæ salutem & spiritualia bona (quanquàm
hæc præcipuè sunt petenda) verumetiam
quantum ad corporis bona: vtpote ꝓ cor-
poris sanitate, pro sensuum incolumitate.
Pro aëris serenitate, pro pestis auersione,
pro pacis temporalis tranquillitate, ꝓ ter-
ræ fœcũditate, pro fructuum vbertate, pro
incendiorum repressione, pro fructuũ ter-
ræ & animalium conseruatione, & pro aliis
eiusmodi, pro quibus spirituales secundùm
Ecclesiasticam cõsuetudinem orationes in
libris missalibus inuenimus à patribus ædi-
tas, & à sacerdotibus pro necessitatis exi-
gentia cãtari solitas. Verùm in iis postulá-
disque corporis sunt aut téporis bona sem-
per quòd petit diuinæ voluntati (si nõ ex-

Pro quibus orare liceat & offerre sacrificium.

presse, vt minimum subintelligendo) submitti debet, vt non nisi quantum ipse nouerit saluti nostræ ac cæterorum conducere, postuletur. Solent enim temporales aduersitates, aut corporis incommoda, variis ex causis accidere. Aut enim à Deo suscitantur ad salutarem exercitationem bonorum, & comprimẽdos à peccatis homines. Veluti cùm eos, quos pacis temporali abũdantia videt ad voluptates carnis diffluere, bellis affligit, sicq; stringit ne diffluant, Aut eos qui in corporis bona valetudine & prosperitate rerum suarum, Dei obliuiscebantur, infirmitatibus percutit in corpore, & aduersis casibus sua prouida dispositione, ad eruditionem & custodiam electorum suorum, affligit in temporalib⁹ bonis. Atque hæc quidem, quia salutaria sunt illis, & donum multò maximũ quod suis electis solet Deus donare, non multùm debet sacerdos postulare, vt auferantur, nisi sub apposita conditione, quantum Deo fuerit placitum, & cõducens animarum saluti: vnde & Paulus Apostolus cùm peteret datum sibi à Deo ad humilitatis custodiã auferri carnis stimulum, exaudiri non potuit: sed audiuit à Domino sibi dici. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Aduersitates varius mõdis obueniunt.

2. Cor. 12.

ficitur. Nonnunquam verò ad vindictam & vltionem peccati, Deus permittit, aut per seipsum immittit aduersa. Veluti cum pro peccato Dauid, occisa sunt de populo plurima milia hominum, pro qua plaga, eo quòd vltionis erat, vt cessaret, deprecatus est Dominum Dauid, & exauditus est. Sic & Aaron sacerdos cùm feriret populũ plaga Dominus, proferens scutũ orationis suæ stare fecit eius iram, ne vltrà desæuiret. Helias quoq; pro pluuia dominum deprecatus est, postquam non pluisset super terram annis tribus & sex mensibus, & exauditus est quàm cito. Nonnunquam sola Dei permissione, aut ex diabolo, aut ex aliis maleficis malísque hominibus mala & aduersa nobis eueniunt. Atque pro horum amotione malorum, inuenimus sanctos confidenter orasse. Quia ergo sufficientes ipsi nõ sumus ad discernendum, quid à Deo immittente ad salutem, quid à Deo immittente ad vindictam, quid Deo tantùm permittente à dæmonibus aut persequutoribus, à maleficis, aut à naturali cursu siue constellationibus inimicis eueniat: & quoniam quæ verè nobis sint salutaria ignoramus, fit (vt iuxta Apostolum) quid oremus sicut oportet nesciamus. Vnde cùm pro iis quæ ad corpus

2.Reg.24 *Sapi.18.* *3.Reg.18.* *Rom.8.*

attinent bonis petitionem facimus, semper id cum timore facere debemus, solliciti submittere orationes nostras diuinæ directioni: vt si fortè saluti nostræ non est conducens quod petitur, exaudire nos non dignetur ipse qui solus optimè nouit, quid cuique expediat. Nō enim data sunt nobis salutaria hæc sacramenta in damnationem, sed in salutis promotionem. Solet autē vulgus hominum carnalium expers spiritualis iudicii & frequentius & feruentius, quæ corporis sunt, quàm quæ spiritus bona postulare, & pro suis illis quas in voto habent corporalibus prosperitatibus, frequenter animæ noxiis, sacrificium salutare fieri à sacerdotibus postulant. Quorum est, per suæ discretionem sapientiæ illorum ruditatem sic moderari, vt semper in omnibus animarum salutem prępon ant, ne fortè ad illorum malum exaudiatur oratio. Verè enim anima plus est quàm corpus, & animæ sancta cōpositio, multò præstantior est omnibus corporis bonis. Errant autem sacerdotes, qui se in omnibus stultæ plebeculæ obsecundare debere putant etiam si ab ea temporale accipiant stipendium victus quotidiani. Omnis nāque pōtifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur (te-

Attendant hæc sacerdotes diligenter.

Hebr. 5.

ſte Apoſtolo) in iis quæ ad Deum ſunt, vt offerat videlicet dona & ſacrificia potiſſimum pro peccatis populi repropiciandis, & pro ſalutaribus gratiis impetrandis. Pro temporalibus autem & corporalibus, non niſi quantum ipſe qui nouit omnia vtile nouit, & ſaluti expediens animarũ. Hęc autem expatiando latius diximus pro ſimplicium eruditione, vt ſciat ſacerdos qui ad orandũ potiſſimum & ſacrificandum ordinatus eſt, quomodo ſacrificiũ & orationes in omnibus ſic vt Deo placeant offerre oporteat. (Pro redemptione animarũ ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ.) Primũ ad animæ ſecundum ad corporis temporíſque bona referri poteſt. Animarum enim redemptio, peccati remiſſio eſt. Et qui pro peccatorũ remiſſione poſtulant, pro redemptione vtique animarũ ſuarum poſtulant. Anima enim quæ in peccatis eſt, captiua detinetur, primùm quidé ſub ſeruitute peccati, ſecundò ſub obligatione mortis æternæ, tertiò ſub manu & poteſtate diaboli, qui eſt rex & domin⁹ ſuper omnes filios ſuperbiæ & inobedientiæ. Cùm auté peccatũ dimittitur, perit ſimul omnis animæ captiuitas, & fit perfecta redemptio. Pro ſpe verò ſalutis & incolumitatis, ſuæ id eſt, ſperata & opta- *Iob.41.*

ta salute animæ obtinenda, atq; etiam corporis incolumitate, nunc quidem in hoc tempore, quantum & donec altissimo Domino videbitur, & in futuro sine fine imperpetuum. In cælo nanque perfecta & perpetua perdurabit corporum incolumitas, vbi nec languor erit, neque vlla prorsus corruptio. Cùm econtrario damnati in sempiternis suis cruciatibus atque pœnarum corruptionibus perpetuò dolentes & miseri. (Tibi reddunt vota sua.) Vota hîc accipienda

*Psal.*115. sunt, iuxta id quod in Psalmo dicitur: Vota

*Psal.*60. mea reddã coram omni populo eius. Et alibi. Reddam tibi vota mea de die in diem. Sunt autẽ vota fidelium affectiones piæ & opera bona quę in sua fide ex charitatis deuotione, ad Dei gloriã operantur. Vota autem hæc nostra dicimus, propter liberi arbitrii nobis concessi cooperationem: & tamen ea reddere nos Deo dicimur, propterea quòd eius gratia in nobis quæcunque sunt bona operata est, nõ ipsi ex nobisipsis. Aut simpliciter reddunt, pro offerunt positum dicatur. (Aeterno Deo viuo & vero.)

1.*Cor.*8. Sunt iuxta Apostolum qui dicantur Dii, si-

*Psal.*95. ue in cælo, siue in terra, suntque dii multi &

*Psal.*113. domini, sed nõ sicut dominus Deus noster. Nam illis quidem (nempe dii gentium) aut

dęmonia sunt, aut simulachra muta, aut mera vanitatis (quę nusquã subsistunt) figmenta. Quorum postrema nec vera sunt entia, multò minus, dii veri. Alia nec viuentia sunt, multò minus dii viui. Alia æterna nõ sunt, vtpote creata in temporis principio, multò minus dii æterni. Deus autem noster æternus est, durationis suæ principium & finem non habens, quæ æternitatem inhabitans omnia creauit in tempore. Ipse Deus viuus est, imò vita viuificans vegetánsque omnia: in quo etiam omnia ab initio vita erant, antequam quicquam essent in semetipsis. Ipse Deus est vuus, & præter eum non est alius non appellatione sola, neque sola existimatione, sed secundum suæ naturæ substantiæque veritatem, naturaliter & essentialiter Deus est. (Communicantes & memoriam venerantes.) Coniungi possunt hi nominatiui cum præcedentibus verbis ab initio Canonis, si ita libet, hoc pacto. Supplices rogamus, ac petimus & quæ tibi offerimus, & pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, cõmunicantes & memoriam venerantes, vt ad singula illa verba pertinere nominatiui illi intelligantur. Aut (si cui magis placet) cum immediatè tantùm præcedentibus, ad hunc modum: Pro

Ioan. 1.

Mat. 12.

quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, tibíque reddunt vota ſua, communicantes & memoriam venerantes. Cõmunio autem de qua hîc loquimur, participatio eſt, qua cum beatis in patria, ſancti & fideles in via participant. Quę in hoc accipienda eſt, quoniã quod illi iam ſecuri poſſident, iſti in ſpe certi expectant. Quemadmodum enim illi iam in re beati, ſunt ſuæ beatitudinis ſecuri poſſeſſores, ſic nos in ſpe (quæ confundere neſcit) licet nondum ſecuri, certò tamen ſumus expectantes. Quod illi facie ad faciem vident, id nos modò per fidem credimus. Quod illi iam perfecta fruitione poſſident, nos ſperando expectamus. Sũmo bono cui modò perfecta dilectione illi cohærent inſeparabiles, nos imperfecto amore inhæremus quidem, ſed adhuc donec in vita iſta agimus, neque plenè, neq; inſeparabiliter. Hęc eſt illa qua cum ſanctis còmunicamus beata communio. Eſt præterea & alia communio beatorum erga nos, quatenus apud Deum pro nobis ſe interceſſores & adiutores exhibent mediatores. Ob cõmunionem ergo hanc atque illam, venerandam celebramus eorum memoriã: vt quorum memoriam in terris recolimus, eorum meritis & precibus

Communio ſanctorũ nobiſcum.

Rom.5.
1.Cor.13.

apud Deum adiuuemur.(In primis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei & domini nostri Iesu Christi.) Quoniam ipsa est mediatrix & aduocata nostra, mater misericordiæ, salus miserorum, refugium peccatorũ, & omnibus eius opem ex animo poscentibus adiutrix fidelissima. Cui eo quòd est post Deum & Christũ filium suum prima, singularem cultum impendimus Dei quidem cultu, qui latria dicitur inferiorem, omni tamen veneratione quæ exhibetur creaturæ aut cæteris sanctis superiorem, quam Hyperduliam græco vocabulo nominant, id est, super seruitutem: hoc est, singularem & peculiaré super alios cultum, propterea quòd sanctum sanctorum, Dei filium, in vtero suo gestauerit, peperítque mundo (Sed & beatorũ Apostolorum ac Martyrum tuorum) Apostolorũ tantùm & Martyrũ, fit in Canone specialis memoria. Apostoli autem omnes nominatim explicantur. Martyres tantùm aliquot insigniores, propterea quòd nimius sit illorum numerus. Apostolorum autem numerus certus & modicus est: & ipsi fundamentum sunt Ecclesiæ sanctæ, per quos & huius sacramenti, & cæterorum omnium traditionem institutionémque accepimus. Cur

Cult⁹ virgini Mariæ debitus.

Cur in Canone confessorũ mentio non fiat.

autem martyrũ tantùm fiat in Canone speciales memoria, non autem confessorum, aut virginum, quorum tamen plurimos gloriosis solennitatibus celebrat Ecclesia, causa assignatur: vel quia antè quàm Ecclesia memoriam Confessorum celebraret, Canon (potissimum quod ad hanc partem) æditus fuit. Aut propterea quòd in memoriam passionis Christi sacrificium istud sit institutum: Cui passionis, eo quòd martyres (qui per sanguinis effusionem, & tortorum violentiam ex hac vita excesserunt) magis assimilantur in suis passionibus, qui similiter effuso sanguine pro nomine Domini sequuti sunt eum. Idcirco speciali priuilegio, in huius sacrificii oblatione eorum fieri specialem commemorationem est institutum, cæteris tantùm sub generalitate concisis (Petri, Pauli.) Secundùm ordinem prior est Petrus, quia princeps Apostolorum, Dei super terram vicarius. Subsequitur secundo loco Paulus, quoniam qui operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & huic inter gentes, & quia huic creditum fuit Euangelium præputii, quomodo illi circuncisionis, neque in eo gratia Dei vacua fuit, qui per gratiam Dei plus omnîbus laborauit. Solet autem

Galat. 2.

1. Cor. 15.

duorum istorum memoriam in omnibus, & festiuitatibus, & orationibus, simul venerari Ecclesia: quoniam ipsi totius orbis principes & capite, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Eadem enim die, vt sancta tradit historia, sub Nerone principe ambo: alter quidem in cruce, alter gladio, in eadem vrbe Martyrii palmam adepti, migrauerũt ad Christum. (Andreæ) Frater est Simonis Petri, qui ad vnius iussionis vocem, relictis omnibus, sequutus est dominum, qui pro Christo gloriosissimum agonem decertauit, biduo in cruce viuens, deponi tamen se nullo modo sustinens, propter nimium magistri sui desiderium (Iacobi) Frater Ioannis est filius Zebedæi, qui eo quòd ad Apostolatum prior fuisset vocatus, maior vocatus est: qui etiam statim post ascensionem Domini ab Herode gladio occisus, primus inter Apostolos martyrii lauream promeruit. Qui autem in ordine sequitur Iacobus minor, est frater Symonis & Thaddæi qui Hierosolymitanæ Ecclesiæ, post ascensionem Domini primus in Episcopatu præfuit: qui tum ob corporis figurationem, tum ob religionis sanctitatísque imitationem, frater domini meruit appel-

Mattæ.4

Matth.4

Actu.12

Galat.1. lari. Lini, Cleti, &c. Post enumerata duodecim Apostolorũ nomina, Martyrũ quorundam insignium nomina recensemus, sub iis cæterorum memoriam venerantes. Nullius autem confessorum nomen recensetur in Canone particulatim, nisi quòd in fine dicitur. (Et omnium sanctorum tuorum) in quo tota simul sanctorum turba, in generalitate quadam includitur. (Quorum meritis precibúsque concedas.) Solent sanctorũ præcedentiũ merita, succedentibus posteris apud Deum plurimũ suffragari. Vnde legitur in historiis libri Regũ, quòd tametsi peccarent filii Dauid successores eius, noluit tamen Deus prorsus auferre de domo eius regnum propter ipsum seruum suum. Sciendum verò, quòd si rigorem solùm diuinæ spectemus iustitiæ, nõ sufficerent iuxta condignitatem cuique sua merita, quæcunque in vita quilibet fuerit operatus. Nõ enim iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Iuxta illud Euangelicum: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus. Et iuxta illud Apostoli. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ex Dei autem misericordia

3.Reg.11. *Psal.142.* *Luc.17.* *Rom.8.*

& liberalitate fit, vt non solùm sibiipsis ad salutem, verumetiam aliis ad auxilii protectionem & gratię impetrationem sanctorum opera meritoria prosint. Sanctorum autem erga nos duplex est auxilium: alterum, ex iis quæ in hac vita peregerunt meritoriis operibus, quorum apud Deum nunquam erit obliuio. Quoniam in memoria erit iustus, neque dubium quin & iustitia eius. Alterum verò ex eorum precibus, quas pro nobis in gloriam translati indesinenter effundunt. (Vt in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilio.) In omnibus agendis atque fugiendis, vt tuę protectionis auxilio muniti, nihil faciamus quod faciendum non sit, nihilque omittamus eorũ quæ sunt agenda, Protectionis autem diuinæ auxilium duplex est, quoniam & ab aduersantibus malis defendit fideles suos Deus, & ad operanda quæ sunt bona, per gratiam cõfirmat eosdem. (Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ.) Demonstratio hæc magis id quod futurum, quàm quod præsens est, respicit. Quod autem dicitur, oblatio seruitutis nostræ, potest intelligi vt idem sit quod oblatio quam nos tui serui tibi offerimus. Aut seruitutem accipiendo, iuxta quod sonat, pro exhibitione ser-

Psal. 111.

Duplex est Dei erga nos protectio.

uitutis. Id eſt,pro cultu latriæ quem Deo in hoc ſancto ſacrificio impendimus. Eſt enim hæc oblatio ſeruitutis ſummæ, quæ ſoli Deo venit impendenda, quæ latria ſolet à patribus nominari. Cuiuſmodi ſeruitutem aut cultum, ſanctorum nemini præterquàam ſoli Deo, licet impendere. (Sed & cunctæ familiæ,) id eſt, omnium Chriſti fidelium qui ſunt domeſtici Dei & de familia eius: Iuxta illud. Eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Quemadmodum & ad Timotheum Apoſtolus dicit, Eccleſiam eſſe domum Dei viui. Hæc autem particula addita eſt, propterea quòd non ſolùm (vt iam ſuprà dictum fuit) ſacerdotes offerant ſacrificium, ſed etiá Chriſti fideles cæteri, qui per fidei deuotioné ſacerdoti & Chriſto capiti cohærent. Ex quo etiam patet, priorem particulam ſeruitutis noſtræ, rectius ad miniſtros, quàm ad miniſtrorum ſeruitutem aut latriam referri: vt ſic in priori particula tantùm ſacrificio miniſtrantes vel præſentes, in ſecunda verò, omnes omnino vbicũque locorum conſiſtant Chriſti fideles, comprehendantur. (Quæſumus domine, vt placatus accipias.) De ipſa quidem oblatione quam oblaturi ſumus, nihil opus eſt nos patré poſtulare, vt illa accepta

Ephe. 2.

1. Tim. 3.

Sacrificiũ ... missæ ad latriam ſpectant.

fiat aut grata. Qandoquidem non potest non esse gratissimus atque charissimus patri, vnigenitus filius qui est in sinu eius. Filius (inquam) dilectus, in quo beneplacitum est illi. Sed vt nostra tam pretiosissimæ acceptissimæq; hostiæ oblatio, ante paternæ maiestatis oculos grata fiat & accepta, postulamus. Quanto enim charior est quæ offertur hostia, tanto maiorem aduersus se prouocat iram in cuius manibus pollutis indignè contrectata conspicitur. Petimus ergo, vt nobis per vnigenitum filium suum, pérque sanctorum merita & intercessiones placatus, remissiones peccatorum concessa, quod oblaturi sumus sacrificium, de manibus nostris, placidè accipiat, vt ad salutem nobis, non ad condemnationem proueniat. (Diésque nostros in tua pace disponas.) Sequuntur tres salutares petitiones, quas beatus Gregorius fertur Canoni inseruisse. Primùm quidem à Deo pax bona petitur, pax illa sine dubio, de qua saluator discipulis dicebat. Pacem relinquo vobis, pacem meã do vobis, quam mundus in omnibus suis blandiciis dare nõ potest, ac proinde à solo Deo venit postulanda. (Atque ab æterna damnatione nos eripi.) Qui ab æterna dãnatione *Ioan.14.*

præseruari postulat, indubiè & à peccato mortis se petit custodiri. Frustrà enim ab æterna damnatione postulat eripi, qui in peccato mortis adhuc elegit permanere. (Et in electorum tuorum iubeas grege numerari.) Electorum grex duplex accipitur. Est enim quem pastor bonus propriis humeris in caulas intulit, est quia adhuc in pascuis custoditur, donec vespera adueniente simul adducatur cum eo, qui prior ingressus est. Qui in caulis iam securus inhabitat, triumphans est beatorum Ecclesia. Qui autem grex adhuc in pascuis, periculis multiplicibus expositus agit, militans Ecclesia est. Vterque grex ouium est, & ille securus triũphans, & sollicitus iste militans. Obsecramus ergo, & modò per spiritum sanctum, eiusque gratiam de numero fieri electorum filiorum Dei, & in futuro intrà numerum beatorum omnium ad dexteram collocari, ínque cæli gloriam, cum omnibus beatis introduci. (Per Christum dominum nostrum.) Per illum à Deo pacem petimus, qui vt nobis ad Deum pacem faceret crudelissimum aduersum se bellum suscipere voluit. Rursum per illum ab æterna damnatione seruari petimus, qui ab impio iudice, mortis ignominiosissimæ cõdemnationem

Duplex est grex Christi.

ecce pit, vt nos a maledictione ſempiternæ damnationis abſolueret. Denique per illum qui cum iniquis deputari, & velut vnus ex eis connumerari voluit, noſtri in cæleſtes ciues aſſcribendi gratia poſtulamus in electorum grege numerari. *Eſaiæ.53.*

TEXTVS CANONIS DISTINCTIO TERTIA.

QVAM oblationem tu Deus, in omnibus quæſumus bedictam, aſſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémq; facere digneris: vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pridie quàm pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cęlū, ad te Deum patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis dicens. Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum. Simili modo poſteà quàm cœnatum eſt, accipiens, & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi

gratias agens, benedixit, dedítq; discipulis suis, dicés. Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium, fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta, Christi filii tui Domini nostri tā beatæ passionis, necnon & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis: offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchę nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu diuinę maiestatis tuæ: vt quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictio-

ne cæleſti & gratia repleamur, per eundem Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

In ſuperioribus periodis, prima ſcilicet & ſecunda, orauimus pro Eccleſia, pro fidei cultoribus, pro aſtante collecta. Hæc tertia periodus quam ingredimur, maximè occupatur circa ſacrificium, vt fiat perfectum, & in aliam mutetur ſubſtantiam immortalem, & incorruptam. (Quam oblationem & cætera. vſque · Acceptabilémque facere digneris.) In omnibus benedictam, benedictam gloria, vt glorioſa fiat: benedictam immortalitate, vt fiat immortalis, benedictam incorruptione, vt incorrupta fiat: benedictam diuinitate, vt Deus fiat. Tranſit ad partes à toto, vt vniuerſalis benedictionis partes imprecetur hoſtiæ, cui vniuerſam benedictionem fuerat imprecatus, vt cùm prius poſuerit in omnibus benedictam, particulariter ſubiungat. aſcriptam, & ratam, & rationabi-

Hebr.1. lem, & acceptabilem, quæ ſunt partes omnimodæ benedictionis. (Aſſcriptam). Scimus quia in trinitate quæ Deus eſt, filius ſit ſplendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Qui ergo figura & imago eſt patris, patrem imaginatur & affigurat, quaſi ſculptura quędam eius, vel ſcriptura in qua pater ſplendet, id eſt, bene apparet vt rectè filius dicatur ſplendor eius. Eſt ergo pater inſcu ptus atque inſcriptus filio, cuius figura filius eſt & imago, vt filius ſit eius ſcriptum, quem ſibi habet inſcriptum. Aliter filius dicitur ſcriptũ, qui habet in ſe formã omniũ rerum. Sic enim omnia creata ſunt, vt diuini verbi formæ digeſſerunt, nec aliter in eſſentiam prodierunt, quàm in verbo ſummo formæ dictauerunt. Non ſunt ibi aliud formæ, aliud ipſum verbum, vbi nihil eſt aliud & aliud, ſed omnia ſunt idipſum: vt quanuis formarum diuerſitas intelligibiliter ibi ſubluceat, non ſunt tamen omnia niſi vnum & idipſum verbum. Et quanuis ibi eſt vera & perfecta vnitas, ibi tamen ſecundum creatas res quædam apparet diuerſitas· ſicut cùm ſemel loquutus eſt Deus
Pſal.16. in Pſalmo, Propheta duo intelligit in vno
Ioan.1. verbo. vnde ſcriptum eſt. Quod factum eſt in ipſo vita erat. Factum eſt de nihilo, erat

tamen in verbo. Factum est realiter, erat æternaliter. Erat in summa arte, factum est in re. Viuebat in ratione artificis formaliter, factum est in realitate subsistendi substantialiter. De nihilo prodiit, vt substantialiter esset, quod factum est. In verbo viuebat, vt formaliter esset, antequàm substantialiter esset. Factum est multiplex, verbum est simplex. In verbo simplex erat, quod multipliciter factum est. Mirabiliter videtur in vno pluralitas, in simplici multiplicitas: videtur & non comprehenditur. Potest videri, nequit explicari quomodo vnum verbum inscriptum sit omnibus formis omnium rerum, sicut alibi scriptum est: calamus scribæ velociter scribentis. Pater *Psal.44.* est scriba, qui verbo suo velociter inscribit omnia. Velociter scribit, quia alterum non moratur pro altero. Velociter scribit, quia sine mora scribit omnia. Est ergo filius Dei, verbum scriptum. Sed & corpus assumptum, rectè dicitur scriptum. Sicut enim vox transitoria scribitur, vt quæ per se fugit, scripto permaneat, sic corruptibile aliquid scribitur, cùm incorruptum transit, vt quod corruptionis transitorium erat, scripto incorruptionis permaneat. Sic ergo corpus Christi quoddam scriptū est, quod

de paſſibili carne impaſſibile factum eſt in reſurrectione, & de pane terreno quotidie fit cæleſtis, ſuper altare. Si ergo in Chriſto & verbum dicitur ſcriptum, & corpus etiam nihilominus dicitur ſcriptũ. Quid autem eſt aſſcriptum, niſi ſcripto appoſitum ſcriptum? Eſt ergo corpus Chriſti non ſolùm ſcriptum, ſed etiam aſſcriptum, id eſt, ſcripto appoſitum ſcriptũ, id eſt, verbo corpus adiunctũ. Quando igitur oramus hoſtiam fieri aſſcriptam, quid aliud optamus, niſi vt quæ adhuc eſt panis corruptibilis, fiat ſubſtantia incorrrupta, id eſt, de voce fiat ſcriptum, ſcripto, id eſt, verbo adiunctũ. Fac Ergo Domine noſtram oblationem aſſcriptam, id eſt, ſcriptũ ſcripto adiunctum. vt precioſum Chriſti corpus fiat, verbo Dei adunata, & in vnitare perſonæ coniuncta. (Ratam,) Ratum dicimus, quod certum & fixum habemus. Fiat ergo rata, id eſt, non remaneat inſtabilis & mutanda corruptione, ſed permanens & fixa fiat incorruptione, & ideo certa. (Rationabilem) Sanguis taurorum aut vitulorum nõ ſufficit expurgare nos á peccatis, Minor eſt enim ad hominem. Pro homine ergo rationali, rationalis hoſtia ſufficit ſola. Fiat ergo noſtra hoſtia rationalis, ſiquidem homo aſ-

Quid ſit hoſtiã fieri aſſcriptam.

Hebr.10.

ſumptus à verbo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtit. Fiat hoſtia noſtra rationalis, vt hominem verum pro hominibus offeram⁹, & in hoſtia rationali Deus propitietur hominibus. Fiat rationalis, vt offeramus rationabiliter. Nam qui offert emundari non ſtudens, offert irrationabiliter. Qui offert habens cor impœnitens, irrationabiliter offert, ſicut Cayn rectè quidem offerens, ſed non rectè diuidens. Rectè quidem obtulit Deo, ſed non rectè diuiſit, quia emendari non ſtuduit. Vnde ſcriptum eſt: Ad Cayn & ad munera eius non reſpexit. Nam quem Deus non nouit, nec oblationem eius recipit. Peſsimi nanque hoſtia, irrationabilis eſt, ſicut ſcriptum eſt, Qui non audit legem, oratio eius erit execrabilis. Fiat ergo rationabilis hoſtia, vt rationabiliter eam cum timore & pœnitentia offeramus. Vel fiat rationabilis hoſtia, id eſt, pro rationabili & recta vel honeſta cauſa. Si quis enim offerat, vt quæ furto ablata ſunt reinuenire ſeu hoſtem occidere, vel rapinam perpetrare, ſeu nummos aut gratiam acquirere valeat, irrationabilis non dicitur offerendi cauſa, ideo nec acceptabilis eſt talis hoſtia. Hoſtia ergo noſtra & merito offerentiũ, & offerendi cau-

Gene. 4.

Prou. 58.

ſa fiat rationabilis, vt conſequenter fiat e-
1. *Ioan*. 4. tiam acceptabilis. (Acceptabilem.) Non poteſt non eſſe acceptabilis, quæ ſuperiores tres ſpecies recipit omnimodæ benedictionis. Nõ poteſt Deum odiſſe Deus. Sed quia charitas eſt Deus, diligit Deum Deus, & acceptabilis eſt Deo hoſtia quæ Deus eſt. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quæ non poteſt diſplicere? Nam quæ acceptabilis eſt per ſe, diſplicet pro offerẽte. Pro offerente reſpuitur, quæ quantum ſua refert acceptatur. Acceptatur pro ſanctis, non acceptatur eadem ipſa pro impiis. Pios adiuuat, impios damnat. Piis prodeſt ad ſalutem, nocet impiis ad damnationem. (vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filii tui domini noſtri Ieſu Chriſti.) Poſuerat ergo in omnibus benedictam, ſubiunxit quatuor ſpecies, Aſſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem. Sed hæc omnia clauſa erant, minus intelligebantur, minus patebant, aperuit oſtium, patefacit totum, ſcilicet vt nobis fiat corpus & ſanguis Chriſti. Hic totum completur, hic totum perficitur, vt fiat corpus & ſanguis Chriſti tantùm. Solum Chriſti corpus & ſanguis, eſt hoſtia in omnibus benedicta, aſſcripta, rata, rationabilis, acceptabiliſq;. (Vt nobis cor-

pus & sanguis fiat). Signanter posuit nobis, id est, catholicæ fidei cultoribus. Nobis, exclusit paganos, exclusit Iudæos, exclusit hæreticos. Nobis communicantibus, memoriam sanctorum venerantibus. Non est enim locus veri sacrificii, extra catholicam Ecclesiam. (Qui pridie quàm pateretur, vsque manus suas). Accepit panem adhuc, panem nondum carnem. (Et eleuatis oculis in cœlum, ad te Deum patrem omnipotentem, tibi gratias agens benedixit). Benedixit, suum corpus fecit. Qui prius erat panis, benedictione factus est caro. Modò caro, iam non panis. (Ac fregit) O miraculum, frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos, erat integer, & diuidebatur in partes, in manibus tenebat seipsum, & de manibus discipulis se porrigebat edendum. Hoc signabat Dauid, qui secundùm aliam translationem coram Achis rege se in suis manibus ferebat. Sic nos quotidie Christum in altari consumimus, & permanet: Manducamus & viuit, Atterimus dentibus, & integer est. Et miro modo consumitur permanens, atteritur incorruptus, distribuitur indiuisus, sicut post resurrectionem palpádum præbuit spirituale corpus. Cum si-

Nota.

1.*Reg*.21.

Ioan.21.

mili contrarietate, non ſit palpabile quod ſpirituale eſt, nec ſit ſpirituale quod ſit palpabile. In ſpecie enim & ſapore panis & vini, manducamus & bibimus ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis, ſub eiſdem qualitatibus mutata ſubſtantia: vt ſub figura & ſapore ſubſtantiæ prioris, facta ſit vera ſubſtantia Chriſti corporis & ſanguinis. (Dedit diſcipulis &c. Vſque corpus meum). Patet quòd panis accepta benedictione factus ſit corpus Chriſti. Non enim poſt benedictionem dixiſſet. Hoc eſt corpus meum, niſi in benedictione fieret corpus ſuum. (Simili modo poſteaquàm cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem). Si Chriſtus accepiſſet calicem cœnæ, dicitur hunc accepiſſe. Vnus ergo calix eſt hic & ille. Niſi enim vnus ſit, dici nó poteſt in illo hunc accepiſſe. Eſt ergo vnus etiam quando in altari manibus accipitur vt benedicatur, & necdum ſanguis eſt, ſed, eſt adhuc vinum, propter vnitatem fidei, & & illius cui, & in cuius honore fideliter offertur. Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, vt modò fiat quod tunc futurus erat. Et quia hęc fides vna eſt in tota Eccleſia, & ille vnus cui tunc & modò offertur: ideo & calix cùm accipitur, etiam ante

Vn⁹ idẽque calix eſt, quem Chriſt⁹ cõſecrauit, & quem Eccleſia.

diuina verba eſt vnus, ſicut & omnium Ecclesiarum altare dicitur vnū, quia in eo ſecundum vnam fidem, vnum dominici corporis offertur quotidie ſacrificium. (Præclarum) Præclarum dicit calicem adhuc vini, vſque dum ſtatim fiet præclarus, quando ſanguis erit, ſicut ſcriptum eſt, Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Vel ad comparationem eius quem obtulit Melchiſedech, & cæterorum veteris teſtamenti, Vel propter præclaram illius maieſtatē, cui offertur. Vnde & in ſequentibus dicitur. Offerimus præclaræ maieſtati tuæ. (Calicem) Metaphoricè id quod continet ꝓ eo quod continetur, id eſt, vas pro liquore vini & aquæ. (In ſanctas &c. vſque benedixit), id eſt, ſanguinem ſuum fecit. (Dedit diſcipulis &c. vſque ſanguinis mei). Intranſitiuè dictum eſt, & eſt ſecundùm figuram caſus pro caſu. Calix ſanguinis mei, ac ſi diceret, calix ſcilicet ſanguis meus. Similiter hîc patet, quòd benedictione fuerit factus ſanguis. Ad benedictionem enim præmiſſam ſubdit. Hic eſt Calix ſanguinis mei. (Noui & æterni teſtamenti) Nouum enim Euangelii teſtamentum, in æternum cōfirmauit ſanguine mortis ſuæ. Sic Abraham oblatis ouibus & bobus, cum Abi- *Pſal. 22.*

Gene.21. melech & Phicol principe militiæ percussit fœdus, id est, oues & boues percussit in fœdus, vt sanguine animalium & morte fœdus confirmaretur. Et Iacob fugiens in Galaad facto iuraméto cum auunculo suo Labam, immolauit victimas, vt sanguine victimarũ fœdus iuramenti cõfirmaretur. Et Moyses vt confirmaret testamentum quod accepit in Syna, victimæ sanguinem aspersit ysopo, in totum populum, & tabernaculum. (Mysterium fidei). Pertinet ad fidem catholicã, credere post benedictionem esse verum sanguinem, vt infidelis sit qui hoc non crediderit. Item dicitur mysterium, quod sensibilibus tegitur occultum, sicut veritas sanguinis in sapore vini latet & specie. Calix ergo altaris est mysterium fidei, quia sub figura & sapore vini occultus creditur verus sanguis. Est mysterium fidei, quia quod creditur, sensibilibus quibusdam obtegitur. Nam verus sanguis creditur, quod vinum visu sentitur & gustu. Est fidei mysterium, quia quod fides credit, intus est occultum. Intus est verus sanguis, vera fides, exterius est falsum vinum, vera species. Sentitur vinum, & non est. Non apparet sanguis, & est, Sensus decipitur qualitate, certa tene-

Gene. 31.

Heb.9.

Exo.12.

Mysteriũ fidei est calix sanguinis Christi.

tur fides rei veritate. Ideoque ſanguis dicitur fidei myſterium, quia ſanguinem fides credit intus occultum. Apertum eſt quod ſentitur, occultum eſt quod creditur. Et ſi quid occultum eſt, fidei eſt: ſicuti quod patet, eſt ſenſus. Eſt ergo ſanguis myſterium fidei, ſiquidem occultus pertinet ad fidem. (Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum) Pro vobis, ſcilicet præſentibus: pro multis. Paganos & Iudæos diſcernit, & falſos Chriſtianos. (Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis) Nam ſine hac memoria, non conficimus dominici corporis & ſanguinis ſacramenta. Tolle verba Chriſti, non fiunt ſacramenta Chriſti. Vis fieri Chriſti corpus & ſanguinem? appone Chriſti ſermonem. Facit ſermo veritatis quod dicit, quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mádauit & creata ſunt. Sine dubio fit in creatura, quod Chriſti ſermo dicit de creatura. Eſt enim omnipotens ſermo tuus, ô genitor. Fit ergo ſermone Chriſti, corpus & ſanguis Chriſti. Quæ quoties verbo potenti fuimus, mortem Domini donec veniat memoramus. Et ne ſub his myſteriis hæc memoria refugiat à nobis, ſubiungit. Vnde & memores Domini nos ſer-

Pſal. 48.
Sapiẽ. 18.
1. *Cor.* 11.

ui tui), id eſt . qui ſecundùm cleri gradus acceptos, officio huius ſacrificii deſeruimus, vel (ſecundùm ſolitarios) hîc in præſenti miniſtramus. (Sed & plebs tua ſancta) quæ pro veneratione huius ſacrificii, hîc eſt in præſenti deuotè collecta, vel ſecundùm ſolitarios in vnitate Eccleſiæ fideliter vbique viuentium. (Eiuſdem Chriſti filii &c. vſque donis ac datis). Donum eſt ad dandum, etiam ſi non detur, paratum. Donum eſt. quod dari poteſt. Datum verò, quod in alteri⁹ poſſeſsionem eſt iam tranſlatum, quod de poſsibilitate iam prodiit ad actum, quod iam poſsidetur. Corpus ergo & ſãguis Chriſti, ſunt dona à Deo nobis parata. Dona ſunt, quæ vtiliter dari poſſunt. Dona ſunt vera, ſed in cœlo collocata in Chriſto. Data verò quando fiunt nobis de creatura panis & vini: Data, quãdo ſumimus in altari, quando reficimur inde ſenſualiter. Dona in cœlo, data in terra: Dona apud Deum in Chriſto, data ſuper altare in ſacramento. Dona in cœlo nuda, & aperta, data in altari tecta ſenſibilibus & occulta : tamen hîc & ibi, eadem vera. (Hoſtiam puram). Anteà veteris legis hoſtiæ de irrationabilibus animalibus carnales erant, ſqualoribus ſpurciciæ

Corp⁹ & ſanguis Chriſti ſunt dona & data.

carnalibus, nidoribusque plenæ, & dentium contritione in fæces & stercora redactæ, Hæc autem hostia pura est, quia quãuis caro vera sit & sanguis, tamen spiritualis est & incorrupta, Diuiditur, & consumi non potest, Consumitur, & incorrupta manet. Teritur, & est illæsa. Frangitur, & integra est: Hæc hostia caro est, & nõ carnalis, sed incontaminata lux: & ideò pura. Corpus est, & non corporalis, sed spirituale lumen, & ideò pura. Pura mundans, pura purificans, pura, quia diuina, purior luce corporea. (Hostiam sanctam), Hostiæ veteres erant quidem sanctæ, sed non per se sanctæ, sed quia typum gerebant huius hostiæ sacratæ. Illæ imperfectæ erant, & ideò minus sanctæ, Ista perfecta: & ideò plenè sancta. Illæ dimittebant peccatum vnius, ista tollit peccata totius mundi. In illis tantùm remissio, in hac autem est precium plenum, & perfecta redemptio. Ille impetrabant veniam debiti, sine solutione, hæc reddit debitum, plena recompensatione. Ideo hæc plenè & perfectè sancta, illæ sanctæ, sed minus & imperfectæ. (Hostiam immaculatam) Id est, sine omni macula culpę, vtpote cõcepta & nata sine peccato, & deinde sine culpa vixit in mundo,

Christi caro spiritualis est, nõ corporalis hostia.

ideò immaculata. Nata quidem est de humana carne, sed sine conditione propagationis humanæ, ideò immaculata. Est sine viro de sancta virgine concepta, ideò immaculata. Est cōcepta sine humano opere, sola virtute diuina, ideò immaculata. *Matth.1.* Non enim potest initium habere culpabile, opus quod solus Deus fecit, & nō alius, ideò immaculata. Hominis enim initium, qui sine humana administratiōe, solo Deo authore creatus est (quāuis de massa peccatricæ) non possumus culpare, nisi Deo peccatum velimus asscribere, ideò immaculata. *Luc.1.* Tamen de pura ab omni peccato virgine creditur conceptus & natus: ideò immaculata. Ex quo enim angelica salutatione audiuit, Gratia plena, creditur purificata fide etiam reliquum vitæ, custode spiritu sancto, Vixisse sine omni culpa. Ab immaculata ergo sumpta est hæc hostia, ideò & ipsa immaculata. Ex hoc loco admonemur, quòd panis appositus, altari debet esse cādidissim⁹, & in quo nulla possit inspici macula: vt hoc appareat in figura quod prædicatur de substantia, vt pura & immaculata videatur exterius figura, cuius substantia dicitur interius pura & immaculata. (Panem vitæ æternæ.) Cùm panem au-

dis, ne putes esse qui fuerit ante benedi-
ctionem, ne decipiaris mutata substantia.
Prius erat panis, modò non est panis, sed *Ioan.6.*
sola caro. Sed pané dixit, quasi diceret ci- *Psal.77.*
bum, sicut scriptum est. Ego sum panis vi-
uus. Et panem angelorum manducauit ho- *Galat.9.*
mo. Quomodo est panis vitæ æternæ, qui
sumitur à multis ad damnationem? Huius
panis virtus, fides est, quæ per dilectionem
operatur. Est enim & panis mysterium fi-
dei, sicut de calice dictum est. Sūptus ergo
sine fide, non proficit. Nam si hic panis est
mysterium fidei, id est, occultum quod so-
la cernitur fide, quid prodest sine fide su-
mi, quod sine fide non cernitur? Oculum
perdidisti, quid cæco prosunt in arca diui-
tiæ? Quid prodest diuitias humanæ redem- *1.Cor.11.*
ptionis in te recondere, quas non vides o-
culo fidei perdito? Vnde scriptum est, Qui
manducat & bibit corpus & sanguinem
Domini indignè, iudicium sibi manducat
& bibit. Nam ille manducat indignè, qui
manducat sine fide, quæ per dilectionem
operatur. Est ergo hic panis vitæ æternæ,
non iis quidem qui tantùm ore sumunt,
sed iis qui etiam mente, non qui premunt
dente, sed qui tangunt fide. Vnde scriptum
est. Noli me tangere, nondum enim ascédi *Ioan.20.*

ad patrem meum. Ac ſi diceret:vis me manibus tangere, vis me corporaliter tangere, non ſic fidem tuam volo. Fide me tange, crede ad patrem me aſcendiſſe, id eſt, me eſſe æqualem patri. (Et calicem ſalutis perpetuæ). Quod diximus de pane, idem poteſt dici de calice. Et quod dictum eſt vitæ æternæ, & ſalutis perpetuæ.) Supra quæ &c. vſque:immaculatam hoſtiam). Finis reſpicit ad principium. Supra quæ, ſcilicet ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, reſpicere digneris, & accepta habere, ac ſi diceret. Supra quæ reſpicias & accepta habeas, ideò quia ſanctum ſacrificiũ ſunt & immaculata hoſtia: vt qui de merito noſtro diffidimus, maieſtate tanti ſacrificii adiuuemur. Cur autem oramus patrem propicium & ſerenum eſſe ſuper hoſtiam, & eam acceptam habere, qui nihil habet acceptius, & quam ſemper propicius & ſerenus reſpicit? Inde enim ſcriptum eſt.
Matth. 3. Hic eſt filius meus dilect⁹, in quo mihi bene complacui. Sed ad offerentes eſt hoc referendum, vt qui pro peccatis terrentur & de ſe diffidunt, hoſtiam acceptabilem ſibi prætẽdant, vt eius ſcuto ſe protegentes, ſub ea propicium ſibi patrem ſerenumque depoſcant, & ei ſe acceptos deſyderant,
ſub ea

ſub ea quam nunquam non acceptabilem, dubitant: vt dum patri per ſeipſos non audent offerre (ne magis irritent) dilectum filium proponant, vt ſubeant, & ſub eius tutelam ante conſpectum patris introeant. Oramus ergo, vt acceptabilis hæc hoſtia ſit, placeátque pro nobis: vt cùm offerimus quod placet, placetur nobis Deus. Vnde & exempla ſanctorum adhibentur, Abel iuſti, Patriarchæ Abrahę, ſummi ſacerdotis Melchiſedech, vt ſicut eorũ ſacrificia Deus acceptauit, eis propiciando, ita ſuſcipiat hoſtiam hanc, noſtri miſerando. Melchiſedech ſacerdos ſummus dicitur, qui inter ſacerdotes illius tẽporis habebatur, (Supplices te rogamus, &c. vſque: Diuinæ maieſtati tuæ.) Et hîc mirum eſt, quomodo oramus corpus & ſanguinem domini in conſpectu Dei perferri, cùm ſcriptum ſit: quia Chriſtus ſemper aſſiſtit vultui patris, interpellans Deum pro nobis: & legimus, quia Chriſtus aſcendens ad cælum, ſuper omnia exaltatus eſt, ſedens ad dexteram patris. Quomodo ergo perferri oramus Chriſtum, vbi ſemper eſt? Sed ſuperius vultum patris propicium ac ſerenum fieri ſuper hoſtiam filii rogabamus, non quòd filio ſuo pater poſſit eſſe ſeuerus, ſed vt ſub

occaſione filii, patris propitiationi nos ingeremus, vt pro amore filii miſereatur noſtri, & quaſi filium paruipendat, ſi pro eo nos non recipiat. Ita & hic rogamus patri perferri filium, qui ſemper eſt apud eum pro nobis, vt votum & deuotio noſtra, per filium veniat ad patrem, & virtute tanti ſacrificii vota noſtra proferantur ante cõſpectum Dei, quaſi filius ad patrem non aſcendat, ſi deuotio noſtra illuc non perueniat.

Qua ratione petimus altaris ſacrificium perferri ante conſpectũ diuinæ maieſtatis.

Tali ratione rogamus, vt ſicut Chriſtus ante diſcipulos à terra tranſlatus eſt in cœlum, & factus inuiſibilis in conſpectu ipſius, poſteà miſſurus ſancti Spiritus donum: ita hoſtia hæc ab altari terreno, ſuper quod immolatur, in altare ſublime ante conſpectum Dei tranſferatur, vt inde omni benedictione cæleſti & gratia repleamur: vt quæ viſibiliter tractatur in terra, inuiſibiliter operetur in cælo. Hîc oblata, ibi accepta: non mutatione loci, vel temporis acceſſu, vt cœptus ab hoc loco tranſlationis motus, ad alium poſteà perficiatur locum. Sed ſub eodem loco, qui panis erat, fit verbi caro, Non tranſfertur loco, vt de pane fiat caro: tranſfertur tamen ab altari ad cælũ, quia tranſfertur de pane ad Deum, Sed quia Deus eſt vbique, non fit loci mu-

tatione, vt coniungatur Deo de pane facta caro. Transfertur intus ad Deum inuisibiliter, nec mouetur exterius ab altari visibiliter: oblata in altari deuotione hominis, accepta in cælo propitiatione Dei. Tunc enim à Deo quasi acceptatur, quãdo Deus nobis propitiatur, & cælestis benedictio nobis ab eo mittitur. Sed Christus iuuamine non eguit angelorum, quando sua virtute ascendit in cælum. Quid ergo rogamus hanc hostiam perferri per manus angeli ante conspectum Dei, cùm angelorum officia necessaria non sint huic perlationi? Sed hoc est quod dictũ est, quia perlationi corporis & sanguinis Christi, rogamus vota nostra perferri. Sunt tamen nobis angeli deputati, qui offerunt quotidie Deo vota nostra: Vnde scriptum est, quia angeli eorum semper vident faciem patris. Oramus itaque sub occasione Christi, perferri vota nostra per manus angeli, vt vota bona perferant boni angeli, sub prætextu tanti sacrificii (Supplices te rogamus omnipotens Deus. Supplicamus tibi, curuamur ante te, obnixius deprecamur: ostende omnipotentiam, extende manũ validam: vt quę propicio ac sereno vultu respicis, etiam ad inuisibilia & sublimia tua perferantur,

Qua ratione petimus per man⁹ angelorum perferri sacrificiũ nostrum.

& conspectui maiestatis admittas, Hîc necessitas incuruationis, hîc opus suppicationis, hîc incumbit cõsummatio totius nostri laboris, vt hæc hostia perferatur in sublime altare tuũ, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ. Quid est hoc? Quid est perferri hostiã in sublime altare, nisi ouem humeris pastoris imponi? Et quid est ouis humeris imposita, nisi homo assumptus à verbo? Et quid est sublimius verbo Dei? Quotidie assumunt sibi fideles verbũ Dei, participatione huius sacrificii. Verbum ergo Dei sublime altare est, ad quod oramus hostiam perferri in conspectu Dei, & per eam nos introduci. Conspectus Dei est verbum patris, in quo conspicit omne quod fecit. Nã omne quod agit pater, in verbo eius est. Nam quod factum est in ipso vita erat. Et In principio creauit Deus cælum & terram, id est, in verbo. Et: Verbo Domini cæli firmati sunt. Et: Omnia in sapientia fecisti. Quid rectius dicitur conspectus Dei, quàm sapientia sua, in qua conspicit omne quod agit? Hostiam ergo perferri in sublime altare, in conspectu Dei, quid est, nisi oblationem nostram coniungi verbo, vniri verbo, fieri Deũ, & per eam nos in Deum assumi, & vota nostra acceptari? (Vt quotquot ex

Matt.17. *Ioan.1.* *Gene.1.* *Psal.32.* *Psal.103*

hac,&c.vſque & gratia repleamur.Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen.) Habet Eccleſia altare viſibile in terra, eſt & altare inuiſibile in cælo apud Deum. Hoſtia quam in hoc altari Deo offerimus, Deo coniungitur, & fit Deus. In hoc ſacrificio coniunguntur terrena cæleſtibus, creatura Deo. Cùm de hoc altari ſumimus creaturam, accipimus de ſublimi Deum. Cum hîc corpus & ſanguinem Chriſti ſumimus, de cælo Deum accipimus, in quo omni benedictione cæleſti & gratia replemur. Sumimus hîc viſibiliter, corpus & ſanguinem Chriſti, ſumimus inuiſibiliter de cælo, quò perlata ſunt, benedictionem & gratiam Dei. Sumimus (inquam) gratiam & benedictionem, ſiquidem dignè ſumimus Chriſti corpus & ſanguinem. Nam qui indignè ſumit, ore quidem ſumit, & dente terit corporaliter, ſed nihil proficit ſpiritualiter. Imò qui corpus & ſanguinem Chriſti ſumit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ideoque rogemus, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, inde quò perlata ſunt, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.

Duplex altare habet Eccleſia.

1.Cor.11

ADDITIO F. FRANCISCI TITELMANNI.

HANC tertiam distinctionem quia prolixè admodum & sublimiter præcedens nos Episcopus est interpretatus, idcirco leuiori manu duximus pertranseundam. Quia tamen ex iis quæ posita sunt multa in sublimi versantur intelligentia, pro simpliciorum captu simpliciora quædam familiariter tractabimus. (Quam oblationem, &c. vsque facere digneris.) Non iam dicit, habere digneris benedictam, ascriptam, &c. sed facere digneris hanc oblationem talem esse: nempe vt sit benedicta, asscripta, rata, rationabilis, & acceptabilis. Nam in hac particula postulatur oblationis quæ in altari reposita est, in verum & summum sacrificium transmutatio: hoc est, panis & vini in sanctissimum corpus & sanguinem Domini conuersio. Te ergo quæsumus Deus clementissime, vt hanc propositam terrenorum munerum oblationem, facere digneris in omnibus benedictam, id est, omnino benedictam,

& perfectam tua benedictione in spiritualem substantiam commutatam, sic vt filii tui corpus & sanguis fiat tua diuina operatione, pro nostra hac terrena panis & vini oblatione. Quinque autem hoc in loco vocabula, sanctæ Hostiæ attribuũtur, benedicta, ascripta, rata, rationabilis & acceptabilis. Quæ præter eam quæ in præmissa expositione data est interpretationem, faciliori intelligentia, etiam ita accipi possunt: vt dicatur oblatio corporis & sanguinis Domini (iuxta beatum Augustinum) benedicta, eo quòd per ipsam participantes fideles benedicimur. Ascripta, quia per eam in cælo ascribimur: & quasi conciues iam effecti, secundum spem illi beatissimæ societati incorporamur & communeramur. Rata, quia per eam in Christi visceribus censeamur, tanquã membra eius, & in ipsum mirabili & ineffabili vnione traiecti, sicque confirmati, vt ab eo non decidamus aliquando. Rotionabilis, per quam à bestiali sensu eruamur, & spiritu viuificati secundum spiritus ductum agitemur, tanquam filii Dei. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Et qui sensu adhuc bestiali secundum desyderia carnis agitantur, filii diaboli sunt.

Augustini interpretatio.

Rom. 8.

Christus autem dum nos à bestiali isto sensuper spiritus sui sancti infusionem liberat, rationabiles nos facit ex irrationabilibus, & ob hoc oblationem nostrã rectè rationabilẽ dicimus. Acceptabilis, quia per ipsam accepti efficimur patri, dum eam pro nostris expiandis sceleribus confidenter offerimus. Aliter, oblatio corporis & sanguinis Domini, omnis benedicta dicitur: quia omnis expers maledictionis, spiritualis benedictionis vsq; adeò fuit nõ ad mensuram plenissima, vt de eius plenitudine acceperimus vniuersi. Iuxta quod ad virginem benedictam, spiritu sancto repleta clamauit Elizabeth. Benedictus fructus ventris tui. Ascripta, vel quia per varias figuras & testimonia in lege & Prophetis multò antè descripta, vel quia à diuinitate secundum humanitatem assumpta, eique counita in vnitate personali. Christi enim humanitas (secundũ quam nobis ipse fit oblatio) diuinitate ascripta rectè dicitur, à qua fuit sic in tali vnitate assumpta. Rata verò dicitur hæc oblatio, quasi non transitoria sicut veteres erant oblationes, quæ hac adueniente noua hostia cessauerũt offerri, & succedenti veritati tanquã vmbrę cesserunt. Permanebit autẽ hæc nostra ho-

Alia expositio.

Ioan.1.
Luc.1.

ſtia, nec mutabitur, vſq; ad conſummationẽ ſæculi. Rationabilis inſuper vocatur hoſtia noſtra, ad diſtinctionem hoſtiarum veterum, quæ & irrationales erant, nempe tauri & vituli, & ſimul etiam modo quodam irrationabiles, quaſi effectũ congruum non habentes. Nam pœnalitatem animalibus inferebat ſua immolatio ſanguiníſque effuſio, ſed peccata immolantium tollere nequibat. Noſtra autem hoſtia, quam offerimus, nec pœnalitatem modò habet, & nihilominus à peccatis emundat. Et ſi ſemel in tempore paſſionis pœnalitatem habuerit, rationabilis tamen fuit, qui ad ſempiternã peccatorũ profuit redemptionem. Acceptabilem dicimus, ad diſtinctionem hoſtiarum illarum, de quibus legimus. Sacrificium & oblationem noluiſti, holocauſta & pro peccatis non poſtulaſti. Hæc enim noſtra hoſtia eſt, quam legis oblationes & ſacrificia omnia præfigurabant venturam in plenitudine temporis, Deo patri multò gratiſſima. (Qui pridie quàm pateretur.) Articulus iſte, velut cor poſitus eſt in totius Canonis medio. Quippe in quo totum completur ſacramentũ, dum per virtutem verborum quę ſuper oblationem panis & vini, per ſacerdotem profe-

Hebr.10.

Hebr.10.

Pſal.39.

Canonis cor aſsignatur ipſius medium.

runtur, diuina virtute inuisibiliter operante, substantialis fit transmutatio: primùm quidem panis in corpus Domini, dicendo. Hoc est corpus meũ. Deinde vini in sanguinem, dicendo. Hic est calix sanguinis mei. Non sic, quasi substantia panis facta sit substantia hominis Christi, sed quia vbi prius erat panis & vinum, post benedictionẽ sanctissimorum verborũ, sub iisdem speciebus corpus habemus & sanguinem dominicum. Nec prius quidem in pane carnem tantùm sine sanguine, nec posterius in calice sanguinem tantùm sine carne. Pari enim proportione, sanguis sine carne, & caro nequit esse sine sanguine. Sed est sub panis specie caro simul & sanguis, & sub vini specie sanguis simul & caro. Secundum tamen loquendi modũ, sub pane carnem, & sub vino distinctè dicimus esse sanguinem: quia panis vt caro, solida substantia est, vinum vt sanguis, liquida. (Pridie quàm pateretur,) id est, quinta feria quæ proxima erat sancto diei Parasceues, in quo die huius sanctissimi sacramenti institutionem factam cognouimus: quem diem sacerdos sancta peragens mysteria semper debet recolere, vt intentionem suam ad illam diriget effectus operationem, quam tunc inter

Sub vtraque specie totus Christus continetur.

ſuos diſcipulos ſaluator agebat. (Accepit panem.) Panis adhuc erat cùm in manibus acciperet, priuſquàm benedictio accederet. (In ſanctas ac venerabiles manus ſuas.) Veræ ſanctæ manus illæ, in quibus nulla vnquam fuit operata malitia. Veræ ſanctæ, quia ad ſanctificandum potentes: in quarum manuum virtute atque inuiſibili operatione, ſacerdotes omnes ſancta conficiũt ſacramenta. Nec enim potens eſſet ad tanti operationem myſterii hominis infirmi impotens manus, ſi non ſanctæ illæ ac venerabiles manus, & digiti tornatiles, ſacerdotis primi & ſummi (cuius ſunt cæteri omnes vicem & locum tenentes) adeſſent eius miniſterio cooperantes, imò in ſacerdotis miniſterio totum operantes. (Eleuatis oculis in cælum ad te Deum patrem ſuũ omnipotẽtem.) Nota ordinem. In manibus accipit panem, oculos leuat in cælum ad patrem. Qua in re quid nobis aliud ſignificatur, niſi quòd per humanitatis quidẽ miniſterium, per diuinitatis autem virtutem, ſanctiſſimi huius altiſsimíq; ſacramẽti facta ſit inſtitutio? Nam quemadmodum cæterorum omnium ſacramentorum, ita & huius, Chriſti humanitas cauſa eſt, vt ita loquamur miniſterialis. Ipſa autem virtus diuinitatis, prin-

Manus Chriſti ad cõſecrationẽ manus ſacerdotũ adiuuant.

cipalis eſt cauſa efficiens atque inſtituens, potẽtia ſua. (Tibi gratias agẽs benedixit.) Gratias agit pro infirmis membris ſuis, quibus omnipotens pater de terrena ſubſtantia quam ſumpſerat in manibus, vitam conſeruat, ita per ſacramenti inſtitutionem de neceſſario ac ſpiritualiter animæ pabulo prouidere, per ſemetipſum incarnatum Dei filium diſponebat. Quàm admirabilis verò illa eſt benedictio, qua tam noua & admirabilis fiebat commutatio. Semel dixit Deus in initio temporis, & facta ſunt omnia. Benedixit in cœna nouiſsima, & commutata ſunt terrena in cœleſtia. (Fregit.) Non quidem Chriſti corpus ſecũdum ſubſtantiam, ſed ſecundum eam quæ oculis apparebat exterius panis & vini ſpeciẽ, quẽadmodum & quotidie in altaris ſacrificio ante Communionem ſacerdotes faciunt. (Dedit.) Benedictione ſanctificatũ & corpus ſuum effectum. (Diſcipulis) tunc quidẽ diſcipulis corpore præſentibus, nunc autem omnibus fidelibus, vt pro quibus ſe daturus erat in redemptionis precium, eiuſdem ſe prius daret in pabulum. Inuenitur autem in ſcripturis duplex Chriſti datio, ſiue traditio. Altera in precium redemptionis, altera in pabulum ſpiritualis cibationis. De

Gene.1.
Pſal.32.

hac apud Ioannem legimus. Panis qué ego dabo caro mea eſt, pro mundi vita. Et: Pater meus dat vobis panem de cœlo vero. De illa verò, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, In hac ſe tradit Christus, vt interficiatur & moriatur, fiátque oblatio pro peccatis noſtris. In illa autem ſe dat, vt comedatur & fiat in pabulum. Hæc in definito tempore ſemel facta, ad perfectam redemptionem pro omnium ſeculorum peccatis ſufficiens, iterari non eget. Illa mirabiliter ſemel inſtituta, ad mortis Chriſti commemorationem quotidie ſalubriter debet iterari. Eſt enim poſterior, prioris recordatio & commoneſactio Dicens: Accipite, & mãducate ex hoc omnes. Quod dicitur diſcipulis, Manducate ex hoc omnes, non ſic eſt accipiẽdum, quaſi diuerſas partes diuerſis, & non ſingulis ſe totum manducandum Chriſtus præbuerit: ſed ita accipi debet, ac ſi diceretur. Manducate omnes hoc ipſum, quod vobis præbeo manducandum, corpus meum. Videtur autem ita dixiſſe Manducate ex hoc omnes, conſideratione ſpecierũ ſub quibus veritas latet corporis & ſanguinis dominici, non ſecundum veritatem eius, quæ latet ſubſtantiæ. Licet enim ſecundum ſpeciem alia vi-

1. Cor.

Heb. 10.

Quomodo intelligendũ eſt. Mãducate ex hoc omnes.

deatur particula, quam hîc, & alia quam ille manducat, ſecundum tamen veritatem vna eſt atque eadem, tota dominici corporis ſubſtantia, quam ſinguli manducant, nec plus mãducant mille ſumentes, quàm vnus, quoniam totum omnes manducant & integrum corpus dominicum, quod in particulis iam amplius non poteſt eſſe diuiſum. (Hoc eſt enim corpus meum.) Conſtat hîc corpus non pro altera tantùm compoſiti parte, nec pro materia tantùm, ſed pro toto Chriſto homine accipi, quomodo & alibi dicitur. Verbum caro factum eſt: quod verum non eſſet, ſi caro pro altera tantùm compoſiti parte ſumeretur. Neque enim corpus tantùm, neque anima tantùm eſt homo, ſed illud ipſum quod ex anima ſimul & corpore componitur totum, homo nominatur. Sic & nunc cùm dicimus hoc eſſe corpus dominicum, totum hominem Chriſtum accipimus, in quo & veritas eſt humanæ naturæ, propter corpus & animam, & nihilominus vera diuinitas cum humana natura in vnitate perſonæ vnita atque conſociata. Notandum verò, quòd licet (iuxta nonnullorum probabilem ſententiam) in huius ſacramenti inſtitutione ipſaque Chriſti actione, ante prolationem huius ſen-

Ioan.1.

tentiæ, hoc eſt corpus meum, dicatur trāſmutatio ſiue tranſſubſtantiatio à Chriſto fuiſſe perfecta, per inuiſibilem verbi incarnati operationem, ſine verborum horum miniſterio. In huius tamen ſacramenti per ſacerdotes quotidiana iteratione, credimus virtute Dei inuiſibili interius operante, & virtute verborum Chriſti, quæ ſacerdos recitat exterius cooperante, ſacroſancta confici ſacramenta, nec ſine eorum miniſterio per ſacerdotis miniſtros ea confici poſſe. Neque mirum videri debet, id quod filius verbum, per ſe ſine verbi exterioris miniſterio poteſt, miniſter homo ſine verbi exterioris miniſterio non poſsit. Cùm conſtet, ſacerdotis poteſtatem non niſi per verba Domini poſſe in effectum ſuæ operationis procedere. Summus enim ſacerdos qui eſt patris verbum increatum, exterioris verbi creati non eget miniſterio. Sacerdos autem qui verbi increati creatus tantùm miniſter eſt, ſine creato verbo (cui increatum verbum virtutem dedit admirabilis actionis) nihil prorſus agere poteſt. Itaque etiam ſi teneatur, in illa quam ipſe per ſe ſummus ſacerdos fecit tranſſubſtantiatione per ſolam benedictionem facta tranſſubſtantiatio panis in corpus Do-

Sacerdotes miniſterio verborum Chriſti ſancta cōficiunt ſacramenta.

Post cō-secratio-nis verba prolata perfectũ est sacra-mentum.

mini, antequàm diceretur discipulis. Hoc est corpus meum. Credendum tamen est (iuxta orthodoxorum patrum sententiam) in sacerdotum cæterorum consecratione, ante hæc sancta consecrationis verba non haberi quæ expectantur beata mysteria. Cùm enim causam non possit effectus pręcedere, si autem ipsa prolatio exterior causa beatæ commutationis, cum cæteris simul requisitis & cooperantibus: fieri posse non videtur, vt antè sit transsubstantiatio, quàm sit exterior illa sanctorum verborum facta prolatio. (Simili modo posteaquàm cænatum est.) Post agni paschalis manducationem (quæ legis obseruantias significabat) sanctissimi huius sacramenti, quod omnium erat veterum euacuatiuum, fecit institutionem. Vnde licet ad partem mox præcedentem de panis benedictione, non fuisset additum, quòd post cœnam esset perfecta, cōstat tamen ad idem referri debere: quoniam non ante cœnam panis benedictio, & post, vini consecratio facta fuit, sed post agni Paschalis esum, legali obseruantia cōplera, æquè panis primùm ac deinde vini super benedicta commutatio instituta creditur. (Accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas.)

Quomodo calix iſte nondum benedictus præclarus dici mereatur, & quomodo hic calix dicatur eſſe quem Chriſtus accepit, cùm alius illè ſecundum numeralem diuerſitatem fuerit, præmiſſa expoſitione declaratum eſt. (Item tibi gratias agens benedixit.) Item, id eſt, ſic tibi gratias agens, quomodo cùm panem accepiſſet in manibus. Benedixit autem vinum, vt in ſanguinem verteretur: diuinæ virtutis inuiſibili operatione, quomodo panem potenti ſua benedictione in carnem fecerat tranſire. Manifeſtum eſt, autem in hoc loco fractionis mentionem non fieri, eò quòd liquidis rebus fractio non conueniat: neque rurſum diuiſionis aut partitionis, eò quòd nõ partitione diuerſorum poculorum, ſed vnius poculi communione omnes percepiſſent ſanguinem Domini. Quod autem hîc de ſacrato ſanguine dicitur. Bibite ex eo omnes, ſecundum illud accipiendum eſt, quod ſuprà in datione corporis fuit explicatum. (Hic eſt enim calix ſanguinis mei.) Aut pro ipſo poculo calix accipitur, ſecundum loquutionis proprietaté, vt intelligatur calix ſanguinis, ille in quo ſanguis ineſt: quemadmodum poculum vini dicimus, quod vinum continet. Aut impropriè, pro conti-

Calicis benedictio.

Calix ſanguinis quomodo debeat accipi.

nente continens ſumitur calix, videlicet, pro eo quod eſt in calice: ſicq́; tranſiens cō ſtructio pro non tranſeunte deberet accipi, vt calix & ſanguis ad idē intelligantur pertinere, tantúmque valeat calix ſanguinis, quantum calix qui eſt ſanguis. (Noui & æterni teſtamenti.) Sanguis qui in calice ineſt poſt benedictionem teſtamenti noui dicitur coufirmatiuus atque dedicatorius quoniam in virtute ſanguinis Chriſti per paſſionem effuſi, noui teſtamenti omnia ſacramenta virtutem accipiunt, & promiſſiones conferuntur: & quòd imperpetuum non euacuabuntur, velut obſignátur atque confirmantur. Quomodo enim olim vetus illud, per ſanguinem hoſtiarum figuralium dedicatum fuit, à ſeruo Moyſe, ad tempus duraturum, donec adueniret quæ ſignabatur vera hoſtia: ſic & modò in tēporis plenitudine, nouum teſtamentum in ſanguine veræ hoſtiæ dedicari debuit, nullo vnquam tempore antiquandum, quomodo hoſtia illa in cuius ſanguine eſt dedicatum, aliam non expectat neque habebit hoſtiam poſteriorem, per quam eius virtus euacuetur. Dicitur autem nouum teſtamentum, quod Chriſtus in carne veniens nouus homo nobis inſtituit atque prædicauit, & ſuo ſan-

Sanguis noui teſtamenti.

Teſtamētum nouū & æternum.

guine per mortem ſuam confirmauit imperpetuum duraturum, cui aliud nullum ſuccedet, propter quod etiam æternùm nominatur. Sacramenta enim hæc, quæ modò ex Chriſti donatione, per virtutem mortis eius ſancta habet Eccleſia, vſq; in finem ſæculi non mutabuntur, neque factæ fidelibus promiſſiones aliquando euacuabuntur aut mutabuntur, ſed eadem permanebunt noſtra omnia in ſanguine filii Dei nobiſcum vſq; ad conſummationem ſæculi permanentes, confirmata. (Myſterium fidei.) Sacramentum fidei noſtræ, quod ſola fide tenetur & cognoſcitur, reclamantibus ſenſibus omnibus eſt, non ſolùm ſanguinis in vini ſpecie, ſed etiam carnis ſub ſpecie panis abſconſio: vt quanquam de ſolo ſanguine hæc particula recitetur, nihilominus tamen etiam ad priorem pertinere intelligatur. Et omnino magnum myſterium eſt, omnino ſanctum eſt, omnino ſecretum eſt, admirandum eſt, venerandum eſt, ſub craſſis vilibúſq; creaturarum ſpeciebus magnũ contineri cæli & terræ omnipotentem dominum, Dei filium, Deum verũ, & eundem hominẽ, qui eſt in dextera patris. (Qui pro vobis & pro multis.) Ex diuerſis Euangeliſtarum verbis ſimul hæc Deo coniuncta

Mat. vlt.

ſunt pro vobis & pro multis, ſit vt quod ſequitur, præcedens exponat atque interpretetur. Nã Lucas ſolus pro vobis habet. Matthæus autem & Marcus pro multis. Facit autem addita particula pro multis, vt nõ ad ſolorum diſcipulorum perſonam referatur ſermo, ſed ad omnes omnino fideles. Quanquàm autem ſanguis Chriſti effuſus: quantum ex ſe eſt, ſufficiens ſit ad omnium peccata expianda, omnéſque vita & ſalute donãdos, non dicitur tamen hic pro omnibus ſimpliciter, ſed tantùm pro multis ſanguis Chriſti effuſus, quoniam non omnes vtilitatem ex eo capient, eiuſque participes fient, niſi qui per fidem & opera Deo digna idoneos ſe præſtare ad ſalutem percipiendam, atque dignos exhibere ſtuduerint.

Duplex ſanguinis Chriſti effuſio.

(Effundetur.) Sanguinis iſta effuſio duplex aſsignari poteſt altera ſecundum extorſionem crudelis & violenta, altera autem ſecundum liberalem elargitionem dulcis & voluntatia. Effuderunt enim virgis, coronatione, clauium confeſsione, manu violenta ſanguinem innoxium nocẽtes Iudæi, & eorum miniſtri. Effudit etiam ipſe Chriſtus per amoris dulcedinem, ſui ſanguinis copioſam abundantiã, vt nobis lauachrum pararet regenerationis & renouationis, in

quo à maculis & peccatis nostris abluere-mur. Quemadmodum enim fons ad vsus vitæ humanæ necessarios, de sua scaturigine commodas præbet aquas, quas effundere rectè dicitur: sic noster ille omnis spiritualis gratiæ fons, de abysso dilectionis misericordiæ suæ, sanguinis sui riuos, imò fluuios, ad peccatorum emundationem & spiritualem animarum viuificationem nobis scaturiens rectè sanguinem suum effudisse dicetur. Et quomodo pellicanus solitudinis, pro pullis suscitandis sanguinem suum fundere illis non formidat, Ita & Christus dominus, pro miseris nobis peccato mortuis ad vitam reuocandis, sanguinem illum salutarem, in medicinam pariter atque potum viuificantem, non dubitauit effundere. (In remissionem peccatorum.) Per sanguinem Christi peccata dimittuntur pœnitentibus. Primùm quidē per modum lauachri aut balnei. Quomodo enim aqua fontis in ablutionem proficit sordium corporis: ita Christi sanguis ad emundationem valet à peccatis. Et quomodo is qui sordidus ingreditur in aquarum balneum, mundus egreditur per emundationem aquarum, sic peccatis fœdata anima, cùm in balneum sanguinis Christi per fidei deuotionem in-

Duobus modis intelligitur in sanguine, Christi peccatorũ remißio.

greditur, cum vera cordis pœnitentia mortem & paſsionem eius ſibi poſcens ſuffragari, ab omni macula per eius virtutem emundari creditur. Altero modo hæc per ſanguinem Chriſti peccatorũ remiſsio intelligi poteſt, per modum precii expiationis. Per hoc enim quòd Chriſtus per paſſionis amaritudinem ſuum effundendo ſanguinem, pro noſtris peccatis patris ſatisfecit, ſic nobis remiſsionem peccatorum pœnitentibus, contulit, Nobis enim nocentibus, etiam hodie peccata remittuntur pœnitentibus, quia ſemel innocens ille qui peccatum pro quo pateretur proprium nõ habuit, per paſsionem, ſanguinem ſuum ex patris obedientia & generis humani amore, voluit effundere. Quomodo autem peccati obligatio totius mali & præſentis & futuri in hominibus eſt occaſio, ſic per contrarium, peccati remiſsio fundamentum eſt omnis boni, tam præſentis quàm futuri. (Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis). Ad vtramque partem, id eſt, tam ad panis quàm ad vini conſecrationem, ſimul eſt referenda hæc particula. Monet autem, ſanctiſsimorũ myſteriorum & conſecrationem & ſumptionem ad memoriam illi⁹ fieri qui inſtituit, potiſsimùm au-

Peccati remißio omnis boni fundamentum.

tem in memoria paſsionis & mortis eius, cuius ſpecialiter eſſe memorabile prædicatur & canitur ab eccleſia. Poteſt autem hęc oratio dupliciter intelligi. Primò vt ſit ſenſus, Quotieſcunque manducaueritis pané, & calicem meum biberitis, in memoriam mortis meæ hoc facietis. Poſſet etiam ſecũdò ad conſecrationem panis & vini ſermo referri, vt ſit ſenſus. Quotieſcunque panem & vinum ſic ex mea inſtitutione benedixeritis, in mei memoriam hoc facietis. Vtraque autem intelligentia veritatem habet: & ſimul ambæ in vna rectè poſſunt comprehédi. (Vnde & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta). Nos tui ſerui, qui hîc præſentes ſacrificium faciemus: & vniuerſa Chriſti fidelium multitudo vbicũq; ſecundùm locum conſiſtat in vnitate fidei cógregata (Chriſti filii tui domini noſtri tam beatæ paſsióis)·Illud ꝓ ſimplicioribus eſt attendendum, genitiuum Chriſti cum adiunctis, non ſecundum eum ordinem regi quo ponitur, à nomine memores, ſed à genitiuis qui ſecundùm ſitum localem ſubſequũtur, Paſsióis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, ſecũdùm hunc ordinem. Memores paſsionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Chriſti filii tui Domini noſtri. Quan-

quàm autem huius ſancti ſacrificii oblatio, potiſsimùm ad cõmemorationem paſsionis & mortis Chriſti ſit inſtituta, ſimul tamen etiam & quæ conſequuntur, rectè in eo commemorentur, nempe ab inferis reſurrectio, & in cœlos glorioſa aſcenſio. (Offerimus præclaræ maieſtati tuę), id eſt, tibi patri. Solet enim in ſcripturis frequenter, per gloriam aut maieſtatem pater intelligi, velut cùm ad Hebræos dicitur filius eſſe ſplendor gloriæ, quod eſt ſplendor paternæ maieſtatis. (De tuis donis ac datis). Poteſt hæc particula ea quæ in altari propoſita fuerant ante benedictionem & tráſſubſtantiationem, referri. Panis enim qui de frumento terræ cõficitur, & vinũ quod de vite colligitur, paternæ potentiæ & maieſtatis ſunt dona ac data, quia à Deo fidelibus in vſum data, & vt talis benedictionis capacia eſſent, deputata. (Hoſtiã purã) De donis terrenis quæ nobis ſunt à Deo data, hoſtiam purã ei offerimus: quia cùm prius nihil eſſe in altari præter dona terrena poſt conſecrationem ſub iiſdem ſpeciebus talem habemus hoſtiam, quæ eſt pura ab omni corruptione peccati, tam originalis quàm actualis (ſanctam) per ſpiritusſancti plenam inhabitationé, quem non

Hebr. 1.

ad mensuram vt esset sanctus sanctorum accepit à patre, qui illum vnxit oleo exultationis præ omnib⁹ participibus suis (immaculatam) quæ nulla vnquam iniqua vel cogitatione, vel loquutione, vel operatione potuit commaculari, & in omnib⁹ semper inuenta est sine macula. (Panem sanctum vitæ æternæ). Iuxta illud Euangelii. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Nam & modò, illum manducantes viuimus per gratiam, & viuemus, in futuro per gloriam. (Et calicem salutis perpetuæ). Vel quia per Christi sanguinem ad beatitudinis perpetuam salutem perducimur, dum eius virtute porta nobis vitæ æternæ aperitur, & ius hæreditatis illius confertur. Vel quia calix iste est, qui inebriat animas sanctorum in æterna requie, vt per hoc quòd panis vitæ æternæ nominatur & calix perpetuæ salutis, in hac sancta hostia perfecta salus intelligatur, & beatitudo illius perfectæ societatis, quæ veniet cùm apparuerit in nobis gloria Dei, cuius modò ista per sancta sacramenta corporis & sanguinis Dominici refectio, arra & pign⁹ creditur. (Supra quæ) videlicet dona ac data, aut panem vitæ æternæ & calicem sa-

Ioan. 3. *Psal. 44.* *Ioan. 6.* *Psal. 16.*

lutis perpetuę. Neminem verò turbare debet, quòd secundùm numerum pluralem ista fiat relatio, cùm tamen vna sit res tantùm ad quam spectat vtrũque quod antecessit, panis scilicet & calix. Iuxta enim modum loquendi, ad eas quę apparent species diuersas relatio hæc referenda est, non ad eius quæ absconditur substantię veritatem. Non enim multa, sed vnum sunt, panis sanctus, & vinum sanctum, id est, corpus & sanguis Domini. Secundùm quam rationem etiam in sequentibus accipi debet, cùm pluralis numerus occurrerit. (Propitio ac sereno vultu respicere digneris.) More scripturarum loquimur Deo, quasi homini. Quia enim apud homines quod placet & acceptatur ab aliquo, vultu benigno & tranquillo, mansuetudinem & exauditionis facilitatem præferente aspicitur, quomodo econtrario id quod displicet & est ingratum, siue propter id quod offertur, siue propter ipsum offerentem, toruo ac seuero vultu iracundiam & implacatum animum præferente, ex obliquo conspicitur, idcirco secundùm nostrum loquendi modum, cùm Deum petimus nostras oblationes benignè acceptare, perque eas placatum fieri nobis & ad exauditionem para-

Deo loquimur humano more.

tum, rogamus vt ſereno vultu ac propicio oblationẽ noſtrã reſpiciat. (Et accepta habere digneris). Expoſitio eſt præcedentis obſcurioris particulæ. Illa enim Deus propicio ac ſereno vultu reſpicit, quæ habere dignatur accepta, quemadmodũ illa toruo ac ſereno vultu De⁹ abiicit ac deſpicit, quę acceptare dedignatur. Quod autẽ oramus noſtrũ ſacrificiũ benigno aſpectu reſpici, & acceptum haberi, non ex ipſius eſt quæ offertur hoſtiæ inacceptabilitate, ſed ex ſacrificantis hominis indiſpoſitione. Fieri enim nequit, vt vnigenitum filium ſuum in quo ſibi cõplacuit, quéq; ex vtero ante luciferũ genuit, & in ſinu ſuo requieſcentem habet ab initio, odio pater habere poſsit, aut ſereno vultu non reſpicere. Hæc enim inter ſacrificia multiplicia legis naturæ veteriſq; ſcriptæ, & ſacrificium vnicum legis nouæ differentia aſsignatur à ſanctis doctoribus, quod illa ex offerentium deuotione tantùm erant accepta, & ex animo offerẽtium grata fiebant aut ingrata, quemadmodum in Abel & Cayn oblationibus exemplum habemus. Noſtra autẽ noua hoſtia, per ſemetipſam Deo patri eſt acceptiſsima, & noſtrum ſacrificiũ ex ipſa noſtri operis actione, à quocunque offeratur, patri ſemper eſt

Matth 3. *Pſal. 109* *Ioan. 1.* *Gene. 4.*

acceptum. Propter quod, cùm hoc noſtrũ ſacrificium cum illorum veterum ſacrificiis conferimus, dicentes: Sicuti accepta habere dignatus es, non æqualitatem ſignificare intendimus acceptationis. Nihil enim dubium, quin noſtrum ſacrificium, omni alio ſacrificio ex ſeipſo infinito ſit acceptabilius & dignius: ipſo etiam ſacrificio Abel iuſti, & Patriarchæ Abrahæ, & ſacerdotis Melchiſedech. Cùm illi nihil immolauerint præter creaturas, nos offeramus creatorem. Sed per aduerbium illud ſimilitudinis, quantum ex parte ſacrificii, ſimilitudiné tantùm intendimus. Aut ex parte acceptationis offerentiũ, etiam æqualitaté, ad hunc ſenſum, vt petamus ſic nos in ſacrificando, & ſanctum hoc ſacrificium offerendo Deo acceptos fieri & placitos, ad peccatorum remiſsionem, & bonæ gratiæ conſequutionem obtinendam, quomodo & quãtum patres illi olim propter ſui cordis deuotionem, in ſuarum hoſtiarum oblatione ſunt à Deo, benignè acceptati. Poſtulatio ergo hæc, nihil de ſacrificii neque hoſtiæ indignitate metuit, ſed de ſacrificantium inacceptabilitate tantùm veretur, adque eam depellendem ædita fuit. (Munera pueri tui iuſti Abel). Pueritia

hæc, non ad defectum nec ad ignominiam adiicitur, ſed puritatem ſimplicitatemque Gene. 4. &innocentiam animi deſignat, eo quòd ſimplici animo de pinguiſsimis gregis ſui, Abel iu- Domino obtulit ſacrificium, & de fratris ſtus. dono nihil ſiniſtrè ſuſpicatus, innocenter interiit occiſus. Rectè autem iuſti epitheton illi adiicitur, qui pro iuſtitia primus per fratris iniuſtitiam occubuit. Per iuſtitiam enim Deo omnium primo ac præcipuo domino, cuius ſunt omnia, de optimis faciendum putauit ſacrificium, quòd cùm feciſſet, ſicque Deo fuiſſet acceptus, & Dei teſtimonio iuſtus declaratus, inuidia nequã & iniuſti fratris cæſus occubuit. (Et ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ), Sacrificium hoc intelligi poteſt egregia illa & ſummæ obedientiæ oblatio, qua ad tentantis Domini iuſsionem, ad immolationem vnigeniti filii ſui, in quo habeat repromiſsiones, animo promptiſsimus fuit, perfecturus Dei iuſsionem ſine hæſitatione in momento temporis, niſi voce deſuper angelica fuiſſet ab operis executione prohibitus. Quod ſanè ſacrificium, licet opere completum non fuerit, in voto tamen & animi promptitudine Deo qui cordis intima diſcernit multò fuit acceptiſsimum.

Gene. 22.

Gene. 12. & 15.

Verũtamen & aliâs nonnunquam Abraham altaria ædificasse, inuocando nomen Domini, in quibus hostias obtulit Deo, ex fidei suæ deuotione acceptissimas in scriptura Genesis legitur, quas simul hoc loco rectè possumus intelligere. (Patriarchæ nostri Abrahæ) Patriarcha noster dicitur Abraham, id est, omnium fidelium secundùm fidem pater vniuersalis. Nam secundùm Apostolum sic est secundùm fidẽ pater omnium, qui sequuntur vestigia fidei eius, quemodo secundùm carnem pater est omnium qui secundùm propagationẽ carnalem per subsequentem generationem ab eo descenderunt. Est autem Patriarcha, secundùm rationem nominis, pater & principium multarum tribuum. Secundùm quã acceptionem meritò non solùm pater simplici nomine dicitur, sed etiam Patriarcha noster: quia multarum gentium & tribuum secũdùm fidem positus est pater, ante Deũ qui credidit. Iuxta illud: Patrem multarum gentium posui te. (Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech). De hoc in Genesi legimus, quòd Abrahæ redeunti à cæde Regum obuiauit, proferens panem & vinum, eiq́ue benedicẽs. Ac de alio quidem sacrificio nullo legimus ex-

Roma. 4.

Patriarcha quid significet.

Gene. 17.

Gene. 14.

plicitè quicquam positum, nisi hoc tantùm quòd sacerdos erat dei excelsi. Vnde quæstio oriri posset, quur hìc Melchisedech sacrificii mentio fiat, de quo in scriptura nihil videtur haberi. Nam de pane & vino, non legitur quòd Deo sacrificauerit, sed tãtùm, quòd Abrahæ victori redeũti protulerit, cui vt sacerdos benedixit. Neque aliud alicubi de vllo eius sacrificio scriptũ reperimus. Sed hæsitationis huius duplex solutio est. Quomodo enim nunc in altario panis & calix consecratus primùm Deo patri offertur in oblationem, & postmodùm Christi fidelibus in nomine eius datur ad mãducationem, sic & in figura probabiliter factum creditur, vt prius quidem panem illum & vinum ad gloriã Dei (quo protegente hostes in manus venerant victoris Abrahæ) obtulerit in sacrificium, ac deinde Abrahæ seruo & pugnatori Dei, eadem protulerit in cibum: vt de sacrificio Dei, ex manibus sacerdotis Dei, reficeretur pugnator ac victor Dei. Cuius figuræ significatio, vsque hodie in populo Dei impleri conspicitur: quando oblatum in altari corporis dominici sacrificiũ, fidelibus viciorum ac dæmoniorũ expugnatoribus, ad corroborationẽ profertur manducandum. *Gene.14*

vel ſecundò dici poteſt, quòd cùm in ſcriptura expreſsè inueniatur Melchiſedech fuiſſe ſacerdos Dei excelſi, ſimul etiam implicitè ponatur eius ſacrificium. Nec enim Heb. 5. ſine ſacrificio ſacerdos eſſe poteſt, cùm omnis pontifex ad hoc conſtituatur (iuxta Apoſtoli teſtimonium) vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis populi. Sicut ergo qui patrem nominat, filium tacitè loquitur: ſic & modò ſcriptura dum ſacerdotem eũ fuiſſe apertè aſtruit, ſacrificium eius omnino non tacuit. (Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam). Nonnulli hanc particulam vt ſecũdùm localé ſitum ponitur, cum ſtatim præcedenti connectunt, ad ſacrificium Melchiſedech referentes. Qui ſacrificium iſtud putant dictum ſanctum, & hoſtiam immaculatam: non quidem ſecũdùm ipſum in ſe ſacrificium, ſed ſecundùm id cuius erat figura, nempe dominici corporis & ſanguinis ſacramẽtum: quemadmodum calicem nondum conſecratum præclarum nominamus, non ratione eius quod eſt, ſed quod futurum eſt. Videtur tamen rectius, vt hæc vltima totius huius orationis clauſula, ad principium intelligatur pertinere, hoc modo. Supra quæ, nẽpe ſanctũ hoc ſacrificium & immaculatam hoſtiam, reſpicere dig-

cere digneris,&c. Neque vllum est incommodum, nisi quòd prolixum nimis videtur esse hyperbaton, & nimia inter illa ad idem pertinentia interiectio. Verùm id sæpe orationis extollit magnificentiam, & sermoni magnam addit grauitatem. (Supplices te rogamus omnipotens Deus.) Nunc petitur aliquantò apertius, quod prius in generalitate quadam obscurè postulabatur. (Iube hæc perferri per manus sancti angeli tui.) Iterùm plurali numero de re singulari loquimur, iuxta quod suprà diximus. Quod autem sanctum hoc sacrificium petitur perferri ante cõspectum diuinitatis, secundum eam formam dicitur qua in Psalmo petitur *Psal.78.* introire oratio siue clamor in cõspectu Domini, quæ exaudita mittit postulanti quod *Psal.87.* postulat. Et introire poscitur gemitus compeditorum in conspectu Dei, vt pro remuneratione & iusta vindicta exaudiatur. Oratio enim & clamor, cùm ad Deum funditur, si non exauditur, ante conspectum Dei introire non dicitur, sed foris manere, & à conspectu Dei excludi. Nam sicut oratio *Eccl.35.* iusti & humiliantis se nubes penetrat, ad exauditionem: ita oratio iniusti & superbi nubes penetrare non valens, à conspectu Dei excluditur. Introire ergo hoc nostrum

Cur per manus angelorum perferri velimus sacrificiũ.

ſacrificium in conſpectu diuinæ maieſtatis eſt, nos per ipſum Deo placari, & exauditionem eorum quæ poſtulamus bonorum obtinere. Per manus autem angeli ea perferri depoſcimus, id eſt, per angelorum miniſterium nos adiuuari. Non quòd Chriſtus per ſe ſummè placens patri per angelos poſſit patri fieri commendatior, ſed ex noſtra parte: vt per illorũ interceſſionem ſancta hæc oblata hoſtia, nobis fiat vtilior atque ſalubrior. Quomodo enim orationes noſtras angelorũ miniſterio ad Deum deferri, pérque eorum interceſſiones & preces exaudibiliores fieri conſtat ex ordinatione diuina: ſic etiã de hoc ſacrificio, quantum ex noſtra parte eſt, rectè credimus. In ſublime altare tuum. Habemus apud patrem altare Chriſtum dominũ, de quo ſermonem hunc intelligere, non incongruè poſſumus. Quanquam ſimplicius videtur hoc in loco, vt idem hæc particula valeat cum ſequenti. In conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ, ſitque ſequens prioris expoſitio. Tunc enim ſacrificium quodlibet in ſublime altare Dei perlatum creditur, quando in conſpectu diuinæ maieſtatis præſentatur, & ſic acceptatur vt placeat, ad ſalutarem offerentis exauditionem. (Vt quotquot.) Iam apertè po-

nit, ad quid petieramus in conſpectu Dei perferri noſtrum ſacrificiũ: ad hoc videlicet, vt placatus nobis per huius ſacrificii oblationē clementiſſimus pater, omnes qui ex ea quæ in altari eſt hoſtia, participauerint, eámque vel ſecundum ſacramentalem ſumptionem, vel etiam ſecundum fidem recta ſpiritualiter manducauerint, eius participatione & perceptione omnibus beneficiis cæleſtibus & omni gratia ſpirituali, impleantur ad ſufficientiam. Habet autem hæc oratio, vt cæteræ omnes, ſuam concluſionem. Per Chriſtum dominum noſtrum, per quem nobis omnia bona proueniunt: Cui ſit honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Finit additio.

TEXTVS CANONIS DISTINCTIO QVARTA.

MEMEMTO etiam Domine famulorum famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locũ refrigerii, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur,

per eundem Christum dominum nostrum, Amen. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris, cũ tuis sanctis Apostolis & martyribus, cum Ioanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, cæcilia, Anastasia, & omnibus sanctis tuis. Intra quorum nos consortium nõ æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Per Christum dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedicis, & præstas nobis. Per ipsum, & cum ipso: & in ipso, est tibi Deo patri omnipotenti, in vnitate spiritussancti, omnis honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum, Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione for-
Matth. 6 mati, audemus dicere. Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Aduenit regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo, Amen.

Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis, Petro & Paulo, atque Andrea, cum omnibus ſanctis, da propicius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuę adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri: Per eundem dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate ſpiritusſancti, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

EXPOSITIO DOMINI ODONIS.

HAC tertia periodo quæ in confectione corporis & ſanguinis Chriſti ſudauit, hucúſque finita, ſumit hinc exordium quarta. Quæ confecto corpore & ſanguine Chriſti redit ad rogandum pro mortuis, fidentior exaudiri patrocinio ſacrificiis. (Memento etiam Domine.) Hic ſolet fieri memoria amicorum & familiarium defunctorũ. (Ipſis Domine

& omnibus in Christo quiescétibus.) Ipsis, id est, quorum memoriam fecimus, & posteà reliquis omnibus indulge (Nobis quoq; peccatoribus famulis tuis.) Scilicet qui officium huius sacrificii celebramus præsentes: vel secundum solitarios, qui in corpore Ecclesiæ per totum orbem terrarum fideliter tibi seruimus: totum verò textum qui sequitur nescio verbis aliud facere planiorem, vsque. (Per quám hæc omnia Domine semper bona creas.) Per quem dictum est relatiuè ad hoc quod dixerat, per Christum dominum nostrum. Sed mirum est, quod dixit pluraliter hæc omnia bona, cùm corpus & sanguis Christi non sit nisi vnum. Sed in vno Christi corpore, sunt multæ formæ, & cùm vna sit substantia, sic in vno corpore: vt visibiliter appareat pluralitas, vbi est inuisibiliter substantiæ vnitas, & vnum sit indiuiduum in substantia, vbi multiplex est figura. Apponuntur panes figura plures, & substantia fiunt vnum corpus Christi: manet pluralitas figurarum, cessat pluralitas substantiarum. Est vnum indiuiduum, apparent plura. Próinde modò sicut est: modò sicut apparet, de corpore Domini loquimur. Sæpe dicimus, in distributione dominici

Quomodo pluraliter dictũ sit, hæc omnia bona.

corporis hostias multas expendimus, vel pluribus hostiis multos vno corpore Christi referimus, in vno versiculo monstrantes, & eorum quæ apparent pluralitatem, & ipsius substátiæ inuisibilis vnitatem, cùm hostias plures & vnum dicimus corpus. Sic & in loco dicimus. Hæc omnia bona, omnes scilicet nostras quas in orbe toto immolat Ecclesia. Quæ quidem, si sensibiles intueris qualitates, infinitæ sunt numero, si substantiam, sanguis est vnus, & vna caro, quæ semper à Deo creantur, quia qui semel verbi sui corpus creauit de virgine, quotidie de pane creat eius carnem, & de vino sanguinem. (Sanctificas.) Quotidie sanctificat, oratione sacerdotis, & cooperatione spiritussancti. (Viuificas.) Quotidie viuificat corpori prius inanimato dás vitam. Vnde & prius dicebatur rationabilis hæc hostia. (Benedicis.) Quotidie benedicit, quomodo superius eam precabamur, in omnibus fieri benedictam, & quatuor species subiunximus benedictionis. (Et præstas nobis.) Quotidie præstat nobis corpus filii sui, quia quod est apud patrem in sublimi, quotidie præstat nobis in altari. Et quod apud eum donum est in cælo, apud homines datum est in terra.

(Per ipſum & cum ipſo.) Per quem pater de pane carnem creat, ſanctificat, viuificat, benedicit, & præſtat: per eundem ipſum filium, eſt Deo patri, cum ſpiritu ſancto, omnis honor & gloria. Eſt honor & gloria patri per filium, ſicut ſcriptum eſt. Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Et: Pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te. Habet enim honorem & gloriam pater cum filio, cum quo communem habet potentiam & diuinitatem. Nam cum quo habet omnia, cum ipſo habet etiam honorem & gloriam. Habet etiam cum ipſo honorem & gloriam pater, in quo eſt. Nam ſcriptum eſt. Pater in me eſt, & ego in patre. Quia pater eſt in me, ideò quicquid habet pater, habet in filio. Non enim habere poteſt, niſi in ipſo in quo eſt. (Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti.) Cohortatur orare, ſubdens cauſam, quia ſumus inde ſalutari præcepto moniti. Lege Euangelium, & inuenies præceptum. Cur hanc ſolam orationem præcedit adhortatio, cùm plures in hoc Canone faciamus: & ad nullam hortati ſumus? Quia illæ ſunt inferiores, & humana ratione compoſitæ. Hæc perfecta, & à ſolo formata. Vnde & ſequitur. (Et diuina inſtitutione

Ioan.16. *Ioan.14.*

formati.) Sicut narrat Euangelium, Dominum rogobant Apostoli, donec nos orare: *Luc.11.* Et Dominus informauit eos huius orationis institutione. (Audemus dicere.) Audacia videtur & præsumptio, homines infirmos diuina proponere, nisi essemus formati diuina institutione. Audemus obedientia, non audacia. Audentes audacia, rei sunt: audentes obedientia, laudandi. Ausus obedientie bonus: audacia superbiæ, mala. Et sicut orandi causa subiuncta est, quia præceptum est, ita audendi causa præcessit, quia inde sumus diuina institutione formati. Oremus ergo, quia inde sumus præceptis salutaribus moniti, & audemus dicere, quia sumus inde diuina institutione formati. Nam ideo oramus, quia inde præceptum accepimus: & ideo audemus: quia nos pauidos ad hoc Deus animauit. Dedit præceptum orandi ad salutem, dedit fiduciam audendi propter timorem. (Pater noster qui es in cælis.) Dominicam orationem non expono, quia multos patres exposuisse reperio. Nec oportet hîc ponere, quod in multis locis promptum est inuenire. (Libera nos quæsumus domine.) Facta cõfirmatione dominicæ orationis dicendo Amen, totus textus qui sequi-

tur pro venia peccatorum orat,& pro pace ſuo principio ſumpto de fine dominicæ orationis, qui orat contra peccata,dicendo. Sed libera nos à malo. Deinde ſequens textus incipit pro peccatis, dicendo, libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis. Deinde ſequitur pro pace,da propicius pacem in diebus noſtris: Iterum pro peccatis. Vt à peccato ſimus ſemper liberi. Deinde pro pace. Et ab omni perturbatione ſecuri, Iterũ pro pace ſequitur:Pax domini ſit ſemper vobiſcũ. Deinde pro peccatis iteratur: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis:Iterum pro pace:Dona nobis pacem.Et ſic finis & conſummatio ſacrificii ſit de pace,vt maneamus in pace.Vnde in conſummatione ſacrificii oſculũ ſumimus: quo & in ſacrificio aſſenſum & participationem oſtendimus, & quod debemus in pace manere ſignamus.

Oſculum in miſſa quid ſignificet.

CONCLVSIO.

SAnctiſſimi Canonis textu ſtudioſiſſimè inquiſito,obſecro te quicũque tranſſcribis,vt diſtinctionis diligenter obſeruans ſingulorũ capitulorum

principia grandiuſculis literis prænotes, & periodos (in quibus totū quaternarius concludit opuſculum) capitalibus literis illumines appoſitis titulis, quibus & periodorum diuerſitas prima fronte præclarè effulgeat, & ſingulorum capitulorum principia primò viſa ſe offerant, & immutata cola, & cōmata, confuſis diſtinctionibus ſententias non conturbent.

¶ Finit Expoſitio Domini Odonis.

ADDITIO F. FRANCISCI TITELMANNI.

QVOMODO ſuprà pro viuis ante conſecrationem, pro quibuſdā quidem ſpecialiter, in generalitate autem pro omnibus, facta eſt cōmemoratio, ſic nūc defunctorum in hoc loco commemorationem ſpecialem ſimul atque generalem, ex Eccleſiaſtica facimus inſtitutione. (Memento Domine famulorum famularúmque tuarum.) Memento in bonum, nempe ad miſerationem, ad liberationem, ad glorificationem: quomodo poſt ſequitur. Ipſis

& omnibus, locum refrigerii lucis & pacis indulge, hoc eſt, quod meminiſſe poſtulamus eorum, pro quibus orationem facimus, defunctorum. Famulos autem nominamus etiam vita defunctos, vel conſideratione vitæ anteactæ, quoniã videlicet dum viuerent in corpore, famulati ſunt ſeruieruntque Deo, in obedientia mandatorum eius: ſiue quia adhuc de familia & domo
1.Tim.3. Dei ſunt. Cùm adhuc verè ſint membra Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei. Dum autem ſic pro famulis Dei vita defunctis oramus, damnatorum ſpiritus, de quibus ſpes non eſt vlla ſalutis, ab oratione noſtra excludimus. Famuli enim Dei non fuerunt dum viuerent, nec in obedientia mandatorum ei ſeruierunt: quod ſi feciſſent, in mortẽ damnati nõ eſſent. Neque nunc de familia Dei
Mat.24. ſunt, qui à Deo diuiſi, à Deo repulſi atque reprobati partem ſuã acceperunt cum hypocritis & angelis malignis. Quanquam enim dum viuerent in fide ſua mortua, ad eccleſiam cenſerentur pertinere, propter ſacramentorum Eccleſiæ ſuſceptionem: quia tamen numero tantùm, & non merito ad eam pertinebãt dum viuerent, idcirco poſt damnationis contra ipſos prolatam ſententiam, à Deo & ab Eccleſia penitus diuiſi,

non vltrà de familia Dei cenſeri poſſunt. Sed quorſum hoc in loco ſexuum facimus mentionem, famulos ac famulas diſtinctè nominantes, vbi pro ſpiritibus oratur defunctorum, in quibus ſexus nulla eſt diſcretio? Iuxta noſtram recordationem ac rememorationem hoc facimus, eo quòd defunctos tales reuoluimus in recordatione ac memoria, quales in vita eos nouimus, cùm adhuc corpore ſexum habente fuiſſent circundati. Litera verò. N. quæ hoc in loco poni ſolet, ſignificat nominatim ac ſpecialiter faciendam, pro quibus voluimus, defunctorum aliquorum commemorationem, ſic tamen, vt commune & vniuerſale ſacrificium, in commune omnibus etiam applicetur, habeatúrque omnium ſimul defunctorum, quibus ſacrificiū Eccleſiæ prodeſſe poteſt, vniuerſalis memoria. Tametſi enim ſpecialius orare liceat pro quibuſdā, neminem tamen omnino conuenit excludere, qui vtilitatis ſacrificii huius capax exiſtit. Quod propter eos qui condemnati ſunt dicimus. Quod, cùm ſint proiecti à facie domini, & diuiſi à communione fidelium, noſtrum ſacrificium ad eorum vtilitatem non reſpicit, quomodo nec cætera Eccleſiæ ſuffragia, communia vel priuata.

Damnati non ſunt de fami-lia Dei.

(Qui nos prçcesserunt cum signo fidei(qui nos prçcesserunt, prius moriendo, ante nos ex hoc seculo migrando: quoniá nobis inter viuos relictis, ipsi è viuis excesserũt, morte soluti. Signum autem fidei possumus secundum constructionem non transeuntem, intelligere signũ quod est fides. Fides enim viua per charitatem formata (qua per dilectionem operati fuerant opera Dei dum
Galat.5. viuerent(ipsa signum est filiorũ Dei. Quod signum, in quocunque ante tribunal Christi fuerit inuentum, non lædetur ille à morte secunda, nec ibit in perditionem, quod
Apo.2. rursum in quocũque inuentũ nõ fuerit, dũ
Mat.13. hinc discedet, mittetur in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Aut secundum cõstructionem propriá transitiuá, signũ fidei spiritussanctus intelligi potest,
Ephe.1. quem Apostolus alicubi, signum nominat, cũ nos dicit signatos esse signo promissio-
Iob.41. nis sancto, in dié redéptionis. Quomodo enim princeps huius mundi diabolus, rex super omnes filios superbiæ, illos qui sunt sui, id est, hæredes suos cauterio notat in
1.Tim.4. conscientia, quomodo Apostolus reprobos quosdam dicit cauteriatam habere cõscientiam, sic piissimus ouium pastor æternus eos quos sibi pater dedit, signo & sua-

uiſsimo & certiſsimo ſignat, ſpirituſancto. Quicunque verò ſine hoc fidei atque fidelium ſigno ex hoc mundo diſcedit, cùm ſit notatus cauterio, ex parte maligni eſt, & ad eum non ſpectat noſtrum ſacrificium. Qui verò cum iſto ſigno diſceſſerunt ab hoc ſeculo, pro illis orationem facimus: vt ſi fortè propter imperfectiones & veniales offenſas, aut etiam grauiora & mortalia peccata, remiſſa quidem, ſed non ſufficienti pœnitentia penitus expiata, in purgatione adhuc detineantur: per huius ſacrificii placabilitatem, & ſanguinis Chriſti virtutem, paſſioniſque ac mortis eius meritum (cuius noſtrum ſacrificium commemoratio eſt) remiſsione omnimoda accepta, in gloriam beatitudinis ante conſpectũ Dei citius introeant. (Et dormiunt.) Qui ſine ſigno prædicto migrante viuis, verè moriuntur, quoniam à vera vita, ſempiterna diuiſione ſeparantur. Qui verò cum hoc ſigno diſcedunt ex hoc ſeculo, quanquàm à nobis temporali vita viuentibus ſeparentur, mori tamen non dicuntur: imò tantò magis viuere, quantò illi primæ & beatiſsimæ vitæ, à qua omnis vita, magis iam vniuntur & plenius. Propter quod, dormire magis quàm mori dicuntur: illi

Non moriũtur ſancti, ſed dormiunt Pſal. 1.

enim rectè mortui ſunt:quia non reſurgent impii in iudicio ad glorificationem, neque peccatores in concilio iuſtorum, ad ſimilitudinem retributionis eorum. Iſti verò dormierũt, & mortui non ſunt, quoniam dulci in pace quiete potiuntur, aduentum redemptoris expectantes, qui illos ſuſcitabit ad vitam adueniens in gloria & virtute ſua. Saluatorem enim expectamus de cęlo venturum, qui reſuſcitabit & reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum cor-

Philip 3. pori claritatis ſuæ. Inter mortuos autem atque dormientes, quanquàm ſit nonnulla ſimilitudo, hæc tamen differentia eſt, quòd in mortuis non eſt vita prima corporis, ipſa nimirum anima, quæ eſt in dormientibus: licet dormitionis tempore vita in operationibus non ſic appareat. Ad eundem ſanè modum qui ſine fide viua & ſpiritu ſancto ſunt, extra gratiam Dei mortui, vi-

*Abac.*2. tam animæ & ſpiritum viuificantem in ſe non habent, quoniam iuſtus ex fide viuit, nec vlla in eis clarebit operatio vitæ, ſed regnabit mors, etiam cùm reſuſcitati fuerint, & perpetuò operabitur in eis. Qui verò viuam fidem & viuificantem in ſe ſpiritum habent, tametſi nunc in eorum corporibus non reluceat operatio vitæ, in reſur-

rectione tamen resumptis corporibus regnabit, clarebit & manifestabitur in eis. Nam (iuxta beati Pauli testimonium) si spiritus Christi habitat in nobis, qui suscitauit Iesum à mortuis resuscitabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius, nobis. *Ro.8.* Interim enim abscondita sunt corpora nostra: Cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tunc apparebimus cum illo in gloria. *Colos.3.* Et iuxta scriptum dilecti discipuli. Nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. *1 Ioan.3.* (In somno pacis.) In scripturis duplicem somnum legimus. Alterum malum, de quo dicitur, Dormierunt somnũ suum. Et hic somnus, si quidem post hanc vitam est, sempiternus est. *Psal. 75.* Alterum bonum, quo solet ex consuetudine scriptura mortem iustorum nominare, nõ existimans dignum vt mortui dicantur, qui in pace dulcissima, corporis resuscitationem breui futuram, expectant. Vnde Paulus scribens Thessalonicensibus, de dormientibus inquit, nolo vos ignorare fratres. *1.Thes.4.* *Duplex somnus.* Posterior iste somnus est pacis, quia in gratia Dei mortui, & cum Deo pacem habentes, per spem etiam corporis sui glorificationẽ expectant recipere. Prior autem somnus, ma-

ledictionis est, eorum qui detinentur sub ira omnipotentis Dei, proiecti & reprobati à conspectu eius vsque in sempiternum. (Ipsis Domine & omnib9 in Christo quiescentibus.) Ipsis pro quibus specialem fecimus commemorationem, & cæteris omnibus qui in Christo obdormierunt, inque Dei gratia discesserunt è sæculo petimus locũ refrigerii, lucis, & pacis per Christum indulgeri, id est, clementer, misericorditer, & (vt ita dicam) indulgenter, per virtutem mortis eius concedi, vt fiat eis pro oblatione tanti sacrificii gratia, in perfecta omnis debiti remissione, qua secũdum condignitatem offensionum suarum non erãt adhuc facti penitus digni. Locus autem iste qui modò refrigerii & pacis dicitur, quis alius, nisi cælorum regnum intelligitur? Est enim locus refrigerii & refocillationis, vbi sancti omnes è fontibus agni saluatoris ad ebrietatem hauriunt, in plenissimo gaudio. Iuxta illud Psalmistæ: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrẽte voluptatis tuæ potabis eos. Est locus lucis, qui non eget lumine solis & lunæ, neque luce stellarum: quoniam claritas Dei se facie ad faciem ostendentis illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Lux enim perpetua sanctis Dei luce-

Psal. 35.

Apoc. 21

bit, quæ non deficiet eis in sempiternum. Locus verò pacis est, in quo perfecta, plena, secura, & sempiterna pax regnat, vbi nec languor est, nec senium, nec fraus, nec terror hostium, sed vna vox lætantium, & vnus ardor cordium. Hæc est enim illa ciuitas superna Hierusalem, quę fines suos habens pacem, (id est, pace circummurata) seris portarum suarum cõfortatis, vsqueadeò est secura, vt non queat ad eam vllum malum accedere, aut flagellum appropinquare. Deus enim pacis qui illam inhabitat, cõfirmat & custodit eam, vt nihil quod pacem turbet in eam posit introire. In hanc ergo tam beatissimam ciuitatem, in hunc refrigerii lucis & pacis locum, suppliciter petimus defunctorum in Dei gratia spiritus, dimissis eorum debitis, per virtutem sancti sacrificii introduci, per eum quem offerimus Christum dominũ nostrum. Sed quærat aliquis. Quanã ratione pro illis nos orationẽ facimus, qui in Christo quiescũt? Scriptura enim testatur, beatos esse qui in Domino moriuntur. Nunquid verò nostrũ est qui sumus viles & miserandi homines, pro illis orare qui iam beati sunt? Obiectionem hanc ita dissoluimus, dicentes eos qui in Domino quiescunt & mortui sunt,

Psal. 147.

Psal. 90.

Apo. 14

omnes quidem ſecundum ſententiæ definitiuæ iam latæ certitudinem, beatos eſſe, id eſt, tunc ſuam beatitudinem accepturos, cùm per purgationem ſuorum debitorum digni facti fuerint illuc ingredi, quò nihil
Apo.21. introibit coinquinatum. Quoniã verò hæc temporaria purgatio, comparatione illius æternæ beatitudinis quaſi nihilum computatur, non eſt hoc trahendum in æſtimationem aliquam, quod ante æternæ beatitudi-
Apoc.3. nis perceptionem, temporaria purgatione in breui tempore purgentur: vt digni ſint cum illo ambulare in ſtolis albis, qui ſine omni ſemper macula fuit agnus immaculatus. Pro iis ergo qui iam deceſſerunt in gratia Dei, qui per ſententiam definitiuam Dei de ſua beatitudine poſt breuem purgationem & probationem certi ſunt & ſecuri, oramus per ſacrificii virtutem & meritum mortis Chriſti (cui ſacrificium noſtrum innititur) vt ab expectatione ex gratia Dei celeriter perducantur ad perceptionem, vt qui ſunt ex rigore diuinæ iuſtitiæ beati, adhuc expectatione & certò futura poſſeſſione, impetrata per ſacrificium gratia diuinæ miſericordiæ, beati iam fiant perceptione, & actuali hæreditatione. (Nobis quoque peccatoribus) Iam ſuprà initio

Canonis posita fuit oratio pro Pontifice summo, Antistite, Rege, & cæteris fidelibus, locus positus est memoriæ viuorum, quos in sacrificio Deo commendare voluimus, omnium quoque meminit circumastantium, modò pro defunctis orat. Nusquàm verò sui hactenus singulariter meminit, nisi hîc iam vltimo loco, cùm dicit: Nobis quoque peccatoribus. Quod nõ sic accipiendum est, quasi de se præsumens, alios magis oratione existimet indigere, sed ad humilitatem insinuandam referri potius debet, quòd post omnes se suósque cooperatores nominet: vt post exhibitam aliis omnibus, tam viuis quàm defunctis, charitatis orationem, acceptior fiat Deo ipsius pro seipso deprecatio. Tunc enim potissimùm gratæ fiunt Deo orationes nostræ, quando nos videt, non de nobis tantùm, sed etiam de aliis proximis nostris, vt ad salutem perueniant, esse sollicitos: propterea quòd vnicuique non tantùm de seipso, sed etiám de proximo suo, ipse mandauerit. Notãdum verò, quòd peccatores nosipsos nominamus, & simul etiam Dei famulos. In quo, tametsi videatur esse contrarietas, secundũ veritatem tamen est nulla. Sacerdos enim nullius mortalis crimi-

Cur sacerdos vltimo loco sui meminit.

Simul stãt peccatorem esse & Dei famulum.

nis ſibi conſcius, quod non priuſquàm accederet ad ſacroſancta tractanda myſteria, pœnitenti, confeſsione, & congruis ad hoc inſtitutis mediis, per gratiam Dei ſtuduerit expurgare: quíque ex conſcientiæ ſuæ interrogatione, ſe cognoſcit bonam habere voluntatem vitia relinquendi, & quæ ſunt Deo placita faciendi: cur non audeat bona & ſancta audacia confidenter ſe Dei famulum pronuntiare? Quia tamen in multis offendimus omnes, & in ipſo frequenter ſacrificii tempore leuibus facilè maculamur offenſionibus: atque etiam vt fortè ab omni & graui & paruo delicto quis ſit immunis, tamen quantum ex ſe, ſecluſa gratia Dei, eſt ad omne malum procliuis, & cuncta cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore: idcirco rectè quilibet quantumuis per gratiam Dei mundatus, peccatorem ſe proclamare meritò poteſt & debet. Vnde dilectus Chriſti diſcipulus. Si dixerimus (inquit) quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Atque hoc ipſum ſibi vult illa quæ eſt apud Paulum, hominis corrupta ſenſualitate grauati, exclamatio, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Iaco. 2. *Gene. 6.* *1. Ioan. 1.* *Ro. 7.*

Et quæ cõſequẽter ſubditur concluſio: Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Nobis ergo peccatoribus, ſecundùm carnis corruptionem: famulis autem tuis, ſecundùm ſpiritus bonam voluntatem, da quod petimus. (De multitudine miſerationum tuarum ſperantibus). Non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante te, *Dan.9.* neque ex noſtrorum condigno debito poſcimus exaudiri, ſed propter multam & magnam miſericordiam tuam, qua plena eſt vniuerſa terra facta à progenie in progenies omnibus timentibus te. Nam & Dauid cùm tantus eſſet rex & Propheta, tamen *Pſal.2.* orationem ſuam, vt exaudiretur, in di *Luc.1.* uina ſola fundauit miſericordia, dicẽs. Secundum magnam miſericordiam tuã memento mei tu, propter bonitatem tuã Domine. Propter nomen tuum propiciaberis *Pſal.24.* peccato meo, multum eſt enim. Inter miſerationem autem & miſericordiam hoc intereſt, quia miſeratio actum, miſericordia habitum in humanis rebus ſignat: aut miſericordia proprietatem, miſeratio effectũ. Vnde vna dicitur Dei miſericordia, quæ eſt ipſemet miſerator & miſericors *Pſal.110.* Deus. Miſerationes autẽ multas dicim⁹, ſe-

cundùm nostram in humanis rebus loquendi consuetudinem, per respectum ad creaturas, quibus in multis effectibus, suam multiplicem misericordiam, multiformiter demonstrat. (Partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus). Cùm in cœlesti regno non sit accipientium & Possidentium partialis distributio, eò quòd vnus sit in omnibus omnia Christus Dominus, qui beatorum tota est hæreditas, quare nunc partem nobis donari optamus cum sanctis Apostolis ac Martyribus? Quasi sic in cœlesti sit hæreditate, quomodo est in terrena: vbi quod ab hoc possidetur, diuersum est ab eo quod possidet ille. In cœlo autem vna est omnium hæreditas, & omnium eadem, & tota singulorum, vbi multi reges erimus, vniuersi qui modò credentes seruimus summo regi, nec tamen plura erunt regna, sed vnum erit omnium regnũ, nulla partitione diuisum. Quur ergo nunc partem cum illis beatis, & non idem ipsum totum & vniuersum, quod illi iam possidét, & nobis donari optamus? Oportet autem quod dicitur de parte aliqua nõ iuxta prædicta intelligi: sic enim absurda foret nostra petitio, sed ad hunc sensum vt

1.Cor.15.

Inter regnum cœleste & terrenum differentia.

participationem & communicationem eius quam ipsi iam possident beatitudinis, nobis donari petamus. Vnde cùm dicitur, partem aliquam & societatem, particula &, expositiuè potest accipi, vt sequens vocabulum præcedens elucidet. Participatio autem hæc & societas quam petimus, clarius post interiecta nomina sanctorum exprimitur, cùm dicitur. Intra quorum nos consortium, veniæ largitor admitte. Petimus enim suo tempore illis coniungi in gloria, & in perfecto gaudio quod iam possident, post huius vitæ excessum socii eorum fieri, vt quomodo illi in Dei misericordia sperantes, sunt secundùm temporum successiones, alius post alium, iuxta multas miserationes Dei in regni cœlestis beatitudinem introducti: sic & nos de multitudine miserationum prioribus exhibitarum (quæ nostram spem erigunt & confirmant) concipientes fiduciam, cùm extrema dies aduenerit, ex eadem Dei misericordia in illud ipsum dignanter intromitti, cumque eis participare, ac in æterna beatitudine socios esse faciat. (Donare digneris). Non dicitur reddas, aut persoluas, quasi ex rigorosa coudignitate debitum, sed donare digneris, quoniam iuxta Apo-

Qua ratione petimus nobis cum sanctis partē dari.

ſtolum gratia Dei eſt vita æterna : non ſicut mors peccati eſt ſtipendium debitum. (Cum Ioanne). Quidam, etiam hoc loco Euangeliſtam Ioannem intelligunt ſolius illius memoriam replicari dicentes, propter virginitatis eximiam prærogatiuam,& quia præ cæteris dilectus domino diſcipulus fuit. Sed magis conſentaneum videtur, vt ille quo inter natos mulierum nemo ſurrexit maior, quique ſingulari priuilegio præcurſor præmiſſus ante Dominum eundem meruit & voce prænunciare, & digito demonſtrare, inter cæteros ſanctos alicubi aliquem locum obtineat, præcipuè cùm Ioannes Euangeliſta martyrio mortuus non fuerit, quomodo cæteri omnes, quorum hoc in loco nomina recenſentur.

Matt.11.

Ioan.1.

Bis fit ſanctorũ commemoratio in Canone.

Bis autem ſanctorum ſpecialem facimus commemorationem, ante videlicet conſecrationem ſemel, quando illorum meritis & precibus nobis ſuffragantibus poſcimus adiuuari, & in omnibus diuinæ protectionis auxilio communiri,& poſt factam conſecrationem hoc in loco, quando iam non illorum ſuffragia, ſed ſocietatem poſcimus atque cõſortium. De ſanctis verò quorum nomina ſequuntur, ſigillatim dicere, præſentis non eſt negocii. Ex illorum geſtis,

quales fuerint, aut in quibus præcelluerint virtutibus, facilè manifestum fiet perquirétibus. (Et omnibus sanctis tuis).Sub generalitate adducuntur sancti omnes, quorum nomina ob nimiam multitudinem impoßibile foret nominare: quemadmodum & superius factum fuit. Intra quorum nos consortium non æstimator meriti). Si merita nostrorum operum secūdùm rigorem iustitiæ suæ librare velit in lance æquitatis suæ iudex fortis & iustus, nemo stare poterit hominum in cōspectu eius. Et ideò meritorum nostrorum fiduciam dimittentes, ad veniam confugimus misericordiæ eius, vt pro peccatis nostris obtenta venia ex Dei gratia in beatißimum illud optatißimumque sodalitium valeamus peruenire. (Admitte). Hoc est, intromittas & introducas. Non enim Deo solùm permittente beatorum consortio ascribimus, quasi alterius sit nos illuc introducere, & eius tantùm admittere vt introeamus. Ipse est *Phili. 2.* enim qui operatur in nobis & velle & perficere, & quæ ad salutem nostram spectant omnia, pro sua bona voluntate. Admitte ergo, id est, intromitte, introduc, fac introire. (Per Christū dominum nostrum). Ipse enim est pastor ouiū, & ouilis ostium, *Ioan. 10.*

per quem ſi quis introierit, ſaluabitur: & per qué quiſquis non ingreditur, ſed aſcédit aliunde, condemnabitur. Duobus enim modis per Chriſtum ad cœleſtes manſiones admittimur, vel tanquam per oſtium, vel tanquam per paſtorem. Ipſe enim de
Ioan. 10. ſe teſtatus eſt, quia & oſtium & paſtor eſt ouium. Quomodo enim paterfamiliâs aliquis cui eſt grex multus, per paſtorem ſuas oues curat in ouile introduci opportuno tempore, qui eis oſtium patefaciat, & per oſtium in ouile eas inducat, ſic omnipotens pater nos gregem ſuum, & oues pa-
1. *Petri* 2. ſcuæ ſuæ per Chriſtum regit ac paſcit, qué ſuper nos paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum conſtituit. Et ipſe eſt per que nobis oſtium illius iucundiſsimi ouilis, dico regni cœleſtis patefactum fuit ad introitum, quod fuerat clauſum vſque dum veniret paſtor ille bonus, qui pro ouibus animam ponens & vitam, ſui ſanguinis effuſione, caularum patefeciſſet introitum. (Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas). Nonnulli quod hîc dicitur ad ipſam panis & vini ſubſtantiam referunt, alii ad eam quæ per tranſſubſtantiationem ſub carne latet corporis & ſanguinis præſentiam. Hoc autem ſecundo modo, rectè

diligenter venerabilis Episcopus singulorum particularum expositionem est prosequutus. Cuius est hac in parte interpretatio sufficiens, si rectè & vt oportet iuxta fidei canonem intelligatur. In ea præcipuè parte, in qua dicit eũ qui semel verbi corpus creauit de virgine, quotidie de pane eius carnem creare, & de vino sanguinem. In quo creationis vocabulum non est accipiendum secundùm physicam definitionem, pro eo quod est facere de nihilo. Sic enim nec olim pater de virgine creauit corpus filii, sed fecit. Neque nunc per singulos dies creat corpus & sanguinem de pane & vino. Nequit enim vllo modo creari, quod præfuit. Sed accipi debet impropriè, pro fecit, aut esse fecit. Secundùm quam acceptionem, vtrumquè verum est, nimirum quòd verbum, carnem Deus fecit ex virgine, & quòd quotidie carné creat, id est, facit, de pane, & de vino sanguinem: secũdùm eam intelligentiam qua loquuntur patres orthodoxi, panem & vinum conuerti in sanguinem Domini. Creat ergo Deus per Christum semper hæc omnia bona, qui per Christum primum sacerdotem ac proinde primum huius sacrificii ministrum & authorem fit, vt vbicũque secundùm suam

Creare dupliciter accipitur.

Per Christum sacerdotem primum fit cõsecratio hostiæ.

institutioné & ritum canonicũ sanctæ Ecclesiæ ista fit oblatio terrenorũ munerum, post consecrationé, virtute verborũ eius, admirabilis fiat mutatio substantiarum: vt sit pro creatura creator, pro temporali munere donum sempiternum, & pro corruptibili substátia, Deus idem ipse & homo incorruptus. Nonnulli autem aduerbialem illam determinationem semper, cum adiectiuo nomine bona volunt coniungere, rationé assignantes cur istud sanctũ sacrificiũ semper bonũ dicatur, eo modo quo superius dicta fuit oblatio in omnibus benedicta. Sed simplicius est atque facilius: vt verbo creas iungatur ad determinationem eius: vt sit sensus, Deum patrem semper hæc omnia bona prędicto modo creare, & sic de temporalibus æterna efficere, per Christum: Ita & vbicunque vel quandocunque ista fiat conuersio, per virtutem fiat Christi, qui & sacramentum instituit, & consecrationis verba, tráſſubstantiationisque potestatem cæteris sacerdotibus, suis vicariis, dereliquit, Cæterùm quomodo plurali numero dictum sit, & non solùm pluraliter, sed etiam collectim & vniuersaliter hæc omnia bona, & in prioribus distinctionibus per nos est vtcũque decla-

Sacerdotes sunt vicarii Christi.

ratum, & nunc hoc in loco, per venerabilem Odoné perfectè est explicatum. (Sanctificas, viuificas, benedicis). Si quidem de pane & vino ista quis accipiat, facilè est intelligere, quomodo panis sanctificatur per Christum, viuificatur, & benedicitur: quia videlicet per Christum terrenus ille panis, accepta benedictione efficitur sancta hostia, viuens & vita nostra, & in omnibus benedicta. Si autem ad Christum, vt modò cœpimus partem hanc referimus, quomodo pater sanctificat per filium hæc bona, quæ sunt filius Dei? Nunquid qui perfectè ac plenissimè sanctus est, sanctificatur adhuc? Aut qui vita est, viuificatur adhuc? Aut quomodo potest intelligi, eum qui benedictus est & omni benedictione sine mensura plenissimus, iam iterum per sacerdotis ministerium benedici? Videntur enim hæc non carere absurditate. Sed si rectè accipimus, nullum est falsitatis incommodum. Dicimus enim sancta ista mysteria corporis & sanguinis Domini sanctificari, viuificari, benedici: non quia ipse Christus Dominus per benedicentis sacerdotis ministerium, sanctitatem, vitam aut benedictionem accipiat: sed comparatione ad id quod præfuit, quoniam quod ante bene-

Secūdum quā intelligentiam dicitur hostia altaris sanctificari.

dictionem non erat niſi terrenum donum, & inanimata ſubſtantia, nulla denique peculiari ſanctificatione præditũ, per ſacerdotis benedictioné iam fit cœleſte bonũ, ſanctum & vinum, & omnimodè benedictum, hoc eſt Chriſtus filius Dei, ſanctus viuens, & benedictus per omnia. Aut ſicut prius, comparatione facta ad nos, petiuimus hác ſemper acceptiſsimam hoſtiam acceptã haberi, ſic etiam modò ſancta hoſtia ſanctificari dicatur, eò quòd talis ꝓpter nos creatur, & efficitur de pane & vino, quæ nobis ſit ſanctificatio, vita & benedictio, per quá nimirum noſipſi ſanctiſicari à peccatis, viuificari vita animæ per ſpiritum viuificantem, & benedici, id eſt, omniũ ſpiritualium gratiarum abundantiã, & profectum bonũ cõſequi valeamus. Creat ergo pater, ſanctificat, viuificat per Chriſtũ hæc bona, quia ſanctam hoſtiã corporis & ſanguinis Domini, talem efficit per verbi ſui inuiſibilem operationem, ex terrenis appoſitis muneribus, quæ noſtra ſit ſanctificatio, vita, & benedictio, per quam nos ſanctificemur, viuificemur & benedicamur.) Et præſtas nobis). Nobis datur hæc ſancta hoſtia, id eſt, ad noſtram vtilitatem & ſalutem. Datur nobis in cibũ, datur nobis in potũ, datur nobis in

Nobis datur altaris ſacramentum.

bis in vitam, datur nobis in nutrimentum, datur nobis in præſeruationem, datur nobis in defenſionem, datur nobis ad peccatorum remiſſionem, datur nobis ad bonorum conſequutionem, datur aduerſus hoſtis impugnationem, datur ad carnis ſubiugationem, datur nobis in mortis Chriſti, & omnium beneficiorũ rememorationem: datur ad efficacem pro futuris bonis exauditionem, datur nobis ad fortitudiné percurrendæ viæ, datur nobis in arram patriæ hæreditandæ. Vnde apud Ioannem, Dominus de his bonis, quæ præſtantur nobis à patre per ipſum ita loquitur. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo. Item: Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Et de cæteris dulci modulatione glorioſè canit Eccleſia, O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. (Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo patri omnipotenti in vnitate ſpirituſſancti omnis honor & gloria.)

Ioan. 6.

Ibidem.

Quomodo nobis à patre per Christũ omnia veniunt bona, sic per Christũ ad patrem omnis venit honor & gloria. Quo enim ordine ad nos ille gratiarum suarum mittit beneficia, eodẽ nos ad illũ omnem reddimus, si quam reddimus, gloriã & honorem. Est etiam per filium patri gloria, eo quòd patris nomen manifestauit hominibus, & clarificauit in mundo, & patris sui gloriam, nõ suam quæsiuit in omnibus, iuxta quod in Euangelio legimus, Ego gloriam meam non quæro, sed gloriam eius qui misit me patris. Est etiam patri cum filio honor & gloria, quia communis est æqualis & vna patris & filii gloria. In ipso autem tanquam in sapiente filio, imò tanquam in sapientia filio, est patri honor & gloria: sicut scriptum est, Gloria patris est filius sapiens. Vel quia secundum plenitudinem gloriæ suæ in ipso requieuit, diuinitate vnitas homini in vnitate personali, quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. (In vnitate spiritussancti,) id est, tibi patri qui secundum substantiam & essentiam vnum es cum spiritusancto. Nam si ad personalem vnitatem ferretur intelligentia, haberetur falsitas. Sunt enim in vnitate substantiæ, pater filius & spiritussanctus.

Ioan.17. *Ioan.18.* *Colo.2.*

Et ſecundum hoc dicitur pater & filius in vnitate ſpiritusſancti, id eſt, pater & filius vnum cum ſpiritu ſancto, ſed nõ vnus cum ſpiritusſancto: quomodo econtrario ſpiritus ſanctus in vnitate eſt patris & filii, quia vnum cum patre & filio, non autem vnus: id eſt, vna ſubſtantia, nõ vna perſona. (Per omnia ſæcula ſæculorum.) Cùm ſimpliciter dicimus ſæculũ aut ſæcula, plerunq; temporalis ſignificatur duratio. Propriè enim ſæculum ſpacium humanæ vitæ ſignificat, id eſt, centum annorũ. Verùm cum iſta geminatione, tam ex Græcorũ quàm Latinorum conſuetudine, durationem æternã importare cognoſcitur, in vſu ſcripturarũ ſanctarum, idque tam in ſingulari numero, quàm plurali. Eſt ergo per filiũ patri omnis gloria in ſæcula ſæculorum in æterna quæ nunquam deficiet. (Amen.) Cùm ſacerdos ſecretè orationẽ iſtam legerit, & quid petierit, populus nõ intellexerit: nihil tamen hæſitant aſtãtes cùm orationis ſuę clauſulã alta voce recitat, Amen, conſenſus & cõfirmationis reſpõdere vocabulũ. Sciunt enim nõ niſi recta & conſentanea illum poſtulare, nec niſi vera ante Deum proloqui: eo quòd extra Eccleſiaſticum Canonem à patribus orthodoxis præſtitutum loqui hic non de-

In tribus perſonis eſt ſubſtãtiæ vnitas.

Sæcula ſæculorũ quid ſignificet.

Sacerdos extra Canonem patrũ loqui nõ præſumat in ſacrificio.

beat. Atque hoc in loco, Canonis vltima distinctio finem accipit, secundũ antiquam partitionem. Cætera verò postmodum adiecta sunt, ad deuotionem sumentium & assistentium excitandam: & nos propter dominicæ orationis explicationem, orationẽ dominicam, cum ea quæ sequitur, Libera nos, in distinctione nouissima adiecimus. (Oremus.) Præceptis salutaribus moniti. Habens in manibus præsentem cæli terræque dominum secundũ corporalem præsentiam, tanquam oportunitatem bonam nactus sacerdos, ad orandum omnes cohortatur. Ad quam rem duo proponit primum quidem orationis necessitatẽ, cùm dicit nos
Luc.18. præcepto Dei monitos, dicente domino, quòd oporteat semper orare, & nõ deficere. Deinde nequis dicat, orare desydero, sed quid aut quomodo petã ignoro, addit, dicens nos diuina institutione formatos, id est, per Christi informationem & eruditionem, instructos atque edoctos bonam orationis formam, secundum quam orare de-
Rom 8. beamus. Quia enim nos quid oremus sicut oportet nescimus, à præceptore nostro
Matt.6. Christo orãdi formã accipere destituimus. Sic (inquit Dominus) orabitis. Pater noster qui es, &c. (Audemus dicere.) Quidni

audeamus, poſtquã & præcepto dominico ad orandũ cogimur, & hanc nobis optimã formam præſcriptã, ab optimo præceptore accepimus? Nec enim fieri poteſt vt malè oret, qui in hac manet peritiſſimi oratoris forma. Quis tamen in ipſo ſtatim orationis initio, peccatorẽ ſe agnoſcens auderet tam fiducialiter vocem patris primam omnium proponere, ſi non ita nos animaret, imò cõpelleret Chriſti inſtitutio? Conſiderandum verò hoc in loco, quàm rectè per omnia ſpiritus veritas, Chriſto veritate, (cuius eſt ſpiritus) conſentiatur. Quemadmodum enim (Apoſtolo teſte) ſpiritus filii clamat in cordibus noſtris Abba, quod eſt pater, talem nobis vocem & talem fiduciã interius ſuggerens, ita veritas Dei filius modò nos Deũ compellare monet & præcipit, vocali eruditione inſtituens. (Pater noſter qui es in cælis.) Congruè & rationabiliter admodũ inſtitutum eſt, vt orationem quam ipſemet Dominus in carne viſibiliter apparens nos docuit, ante conſpectũ eius in eadem, licet inuiſibiliter præſentis, proferamus: vt cùm nos ſecundũ eam ipſam formã audit orare, quam ipſemet frequentandã nobis præſcripſit, nõ poſſit ſui non eſſe memor, nec orationem noſtrã repellere, qui cùm fidelis ſit,

Galat. 4.
Rom. 8.
2. Tim. 2.

negare ſeipſum non poteſt. Huius autẽ orationis, quam ab authore dominicam nominamus, (quia per ſe eam Dominus corpore præſens dictauit) venerabilis Odo breuitati ſtudens, & ad finẽ feſtinantior eo quòd apud plurimos inueniatur expoſita, omiſit explanationem. Neque nos ex noſtro ſenſu aut ſpiritu quicquam in ea exponenda volumus agere, noſtræ paruitatis nobis conſcii, Sed expoſitionem quandam viri Deo pleni beati Franciſci, quam inter eius opuſcula reperimus neglectam & incognitam, hoc in loco viſum fuit inſerere. Quæ ſicut verbis parca eſt, & ſermone imperita: ita diuina ſapientia & intelligentiis ſpiritualibus eſt pro ſua breuitate fœcundiſſima, & profundis myſteriorum ſenſibus, referta. Eam ſicut in opuſculis inuenimus, ita ſimpliciter, ne literula quidem immutata, & fideliter, nihil offenſi ſermonis imperitia, proponimus, (Pater noſter.) Sanctiſſime pater noſter, creator noſter, redemptor noſter, conſolator noſter, ſaluator noſter. (Qui es in cælis.) In angelis, in ſanctis, Illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu lux es. Inflammans eos ad tuum amorem diuinum, quia tu Domine amor es: Inhabitans & implens eos ad

Expoſitio orationis dominicæ ex beato Frãciſco.

beatitudinem, quia tu Domine ſummũ bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & ſine quo nullum bonum. (Sanctificetur nomen tuum.) Clarificetur in nobis noticia tua, vt cognoſcamus quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profundum iudiciorum. (Adueniat regnum tuum.) Vt regnes in nobis per gratiá tuam, & facias nos peruenire ad regnum tuum, vbi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tua ſocietas beata, & tui fruitio ſempiterna. (Fiat voluntas tua, ſicut in cælo. & in terra.) Vt diligamus te ex toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima, te ſemper deſiderando, ex tota mente, omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & tuum honorem ſemper in omnibus quærendo ex omnibus viribus, omnes ſenſus & vires corporis & animæ, in tui amoris obſequia, & non in aliis expendendo. Et proximos noſtros diligamus ſicut noſipſos: omnes pro viribus ad tuum amorem trahendo, de bonis aliorũ ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini vllam offenſam faciendo. (Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.) Dilectũ filium tuum, dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum da nobis habere

Ephe. 3.

Deut. 6.

Luc. 10.

in memoria, intelligentia, & reuerentia amoris quam ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis fecit, dixit, & ſuſtinuit. Et dimitte nobis debita noſtra.) Per tuam miſericordiam, & ineffabilem paſſionis dilecti filii tui domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & beatiſſimæ Mariæ virginis, & omnium electorum tuorum merita & interceſſiones. (Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.) Et quia non plenè dimittimus, fac tu Domine plenè dimittere, vt inimicos noſtros propter te diligamus, & pro eis apud te deuotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, ſed omnibus in te
2.Cor.11. prodeſſe ſtudeamus. (Et ne nos inducas in tentationem.) Occultam vel manifeſtã, ſubitam vel importunam. (Sed libera nos à malo) pręterito pręſenti, & futuro. (Amẽ.) Spontanee & gratis. Hactenus homo imperitus ſermone, ſed non ſcientia, humiliter & ſublimiter, altè & ſimpliciter, viliter & mirabiliter, magnificos ſenſus auſus eſt loqui, quos ex continua huius orationis per diem & noctem frequentatione, occulto didicit ſpirituſſancti magiſterio. Nunc ad orationis ſequentis expoſitionem, reuertamur. (Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis.) Hæc ora-

tio, de fine præcedentis orationis dominicæ suum accipit initiũ, in qua secundũ virtuté sub generalitate tota includitur. (Præteritis, præsentibus & futuris.) Triplicia sunt mala à quibus liberari deposcimus. Sunt enim præterita, vicia & peccata, quibus Deum offendimus: à quibus liberari petimus, cùm ea remitti postulamus, & pœnam peccatis debitam similiter dimitti. Sunt mala præsentia, vicia & peccata, siue grandia, siue leuia, quæ in nobis ex quotidianis insunt imperfectionibus fragilitatis humanæ. In quæ mala, quia quotidie incidimus. Iuxta illud, Septies in die cadit iustus, quotidie item per sancta sacrificia ab eis necesse habemus expiari, & pro eis quotidianas orationes facere. Sed quid sibi vult quod pro futuris malis oramus? Videtur enim qui pro peccatis suis futuris orat, propositum habere adhuc peccandi, & velle sibi illa dimitti per huius orationis virtutem, qui post orationem futuro tempore est admissurus facinora: quæ sanè petitio nullo modo rationabilis videtur. Est auté Ecclesiastica ista oratio, secundum aliam veram & bonam intelligentiam accipienda, & à sacerdote proferenda: Sunt enim mala futura, in quæ tametsi nondum

A triplicibus malis petim⁹ liberari.

Prou. 24.

incidimus, periculum tamen eſt ne incidamus in ea. Eſto, ſis modò iuſtus, ſis ſanctus, ſis continens, ſis humilis, manſuetus, ſit ſeruus Dei fidelis, denique ſis perfectus per omnia, quî ſcis dum in hoc agis corpore, an ſit tibi permanſura in craſtinum iuſtitia tua? Qui enim ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Noli altum ſapere, ſed time. Illud enim ſibi quiſq; de ſe perſuaſum habeat, humani prorſus nihil à ſe eſſe alienum: & in omnis generis peccatũ, quo vllo vnquam tempore contigit aliquem peccare, etiam ſe poſſe incidere. Et quid vſquam eſt mali, in quod non corruptus iſte carnis noſtræ affectus, & ex origine indita carni effrenis peruerſitas, nos facilè poſſint inducere, ſi non adeſſet nobis adiutorium gratiæ Dei, ſi non ipſe cordis noſtri ciuitatem cuſtodierit omnipotens Dominus, ſi non in via recta pedes noſtros contineret, & à deuiis auerteret. Pro illis ergo in quæ poſſumus incidere malis, quæ omnia quaſi futura reputamus, deprecationem facimus, vt auertat ea Deus à nobis, nec ea ſuper nos venire ſinat. Quanquam enim dum iſta petimus, propoſitum & voluntatem peccati nullum habemus, tamen per noſtræ fragilitatis ſcientiam, & frequentiſſimam ex-

1.Cor.10.
Rom.11.

perientiam, in quanta mala quàm facilè possimus absque Dei custodia incidere, optimè cognoscimus. Ideóque nobisipsis diffidentes, ad Deum confugimus, hoc ab eo postulantes, vt per suam virtutem ipse nos custodiat, ab iis quæ secundum fragilitatis nostræ & inditæ peruersitatis infirmitatem, metuimus. Quod ergo pro futuris malis oramus, non est ex proposito malicioso peccare volentis, sed ex salutari timore peccare metuentis. Sunt verò quantum ad præsentia & futura mala, etiam alia quæ peccata non sunt, pro quibus depellendis orare solemus & possumus. Ea sunt mala pœnæ: cuiusmodi sunt pestis, fames, sterilitas, incendium, inundationes aquarum, tempestates, bella, infirmitates, & similia: pro quibus frequenter in publicis atque priuatis Missis, orationes facimus speciales: de quibus, quomodo diuinæ dispositioni subiici debeant iam supradiximus. Hæc ergo mala, si iam super nos aggrauentur, vt per Dei misericordiam depellantur, *1. Para. 21.* petimus: quomodo Dauid rex, vt cessaret angelus populum percutiens, orauit ad Dominum. Si verò ventura timentur, siue ex naturalium cursu, siue ex dispositione rerum humanarum, Deum (Priusquam eue-

niant) vt singulari sua gratia auertat, quantum ipse expedire nouit saluti hominum, per sacificii virtutem postulamus. Pro præteritis autem huiusmodi malis quæ solùm mala pœnæ sunt, & culpam non habent, stultum foret & vanũ orare. Cùm id quod præteriit, vt non fuerit, nec Deus possit reuocare. Quanquàm pro peccatis oramus præteritis, eo quòd secundum actum transeuntia post se reatum relinquant, à quo vt absoluamur petimus, dum pro peccatis præteritis oramus, nõ autem vt actus quem fecimus non fuerit. Cùm Deus id non possit efficere, qui tamen peccatum dimittendi, & reatum (vt ita loquamur) auferendi, habet, & solus habet potestatem. (Intercedente beata & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria & cætera. Stultum iudicabunt superbi & impii homines, cùm sanctum sanctorum sic proximum habemus & tenemus in manibus, cæterorum adhuc sanctorum facere memoriam. Verùm si ad mensuram non vltrà quàm oportet sapimus, illud nobis tenendum est, ad humilitatem spectare, vt semper nosipsi diffidentes, sanctorum memoriam superbè non deseramus, sed eorum patrociniis iugiter inhæreamus. Hoc autem in loco nominatim

Præterita nec Deus reuocare potest.

Superbiæ est sanctorũ patrocinia contemnere.

adducuntur, Deipara ſemper virgo Maria, Apoſtolorum capita Petrus & paulus, glorioſiſſimus quoque Chriſti martyr & Apoſtolus beatus Andreas. Cuius inſignem & egregium paſſionis agonem, & pro huius ſancti ſacramenti veritate cum Egea Proconſule veriſſimam diſputationem, quiſquis egerit, videbit non immeritò peculiarem eius hoc in loco inſtitutam eſſe memoriam. (Da propitius pacem in diebus noſtris.) Non ſic accipiendum eſt, quaſi ſacerdos pro ſe tantùm & iis qui hodie ſunt ſolicitus, non curet quid poſt eius vitæ terminum agatur de rebus humanis, quomodo dixit Ezechias, Fiat tantùm pax in diebus meis. Sed ita accipiendum puto, ac ſi dicat. In hoc tempore vitæ iſtius, in diebus iſtis donec ſuper terram viuimus, viuéntq; fideles tui, vt iuxta tuam ſanctiſſimam prouidentiam Deus omnipotens quantũ vtile & bonum iudicaueris, pacem nobis tribuas in hoc tempore, vt quietam & tranquillam vitam agamus in hoc ſæculo, in omni pietate & charitate, ne ſic miſerè ſanguis effundatur hominum in iracundia ad perditionem, pro quibus ex charitate nimia tuum effudiſti ſanguinem immaculatum, ad ſalutem. (Da propitius pacem.) Niſi enim

4. Reg. 20

1. Tim. 2.

Esa. 48. propiciatione vtaris erga nos, nō est quòd pacem expectemus. Non est enim pax impiis, è quorum numero sola Dei propitia- *Ro. 5.* tione separamur, vt iustificati pacem accipiamus. Iustificati enim ex fide, pacem habemus ad Deum, in sanguine Christi, per quem habemus accessum ad patrem. Da ergo nobis pacem in peccatorum remissione perfecta, da pacem in conscientia, quæ est pax tua. Da pacem cum proximo, vt neminem habeamus odio, nec inimicum existimemus vllum quod abs te creatum est, sed omnes verè diligamus, quomodo & tu diligis omnia, & nihil odisti *Sapien. 11* eorum quæ fecisti. Da insuper & pacem temporis, quantum & quomodo tua diuina prouidentia nobis optimè nouit expedire. (Vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.) Videntur hæc ad diuersas præcedentis orationis partes referri debere, secundum hunc ordinem. Libera nos Domine ab omnibus malis, vt à peccato simus semper liberi, & intercedentibus sanctis da propitius pacem, vt ab omni perturbatione simus semper securi, vt partes istæ sibi sic ad inuicem ex aduerso respondeant. Ad petitionis autem

effectū obtinendum, necesse habemus ope diuinæ misericordiæ adiuuari. Cùm enim nobis nostrorum operum merita non sufficiant, nec rigor patrocinetur diuinæ iustitiæ, fieri non potest, vt ab omni malo simus semper liberi, & ab omni perturbatione in pace securi, nisi ope diuinæ misericordiæ fuerimus adiuti. Illum autem diuina misericordia adiuuat, vt ab omni peccato sit liber, & ab omni perturbatione securus, cui ex Dei gratia peccatorū conceditur remissio, & vera iustificatio, per quam excluditur omnis perturbatio. Iustus enim in æternum non commouebitur, ab auditione mala nō timebit, quia semper paratum cor eius sperare in Domino, & cōfirmatum est cor eius in Domino, vt non cōmoueatur in æternū. *Psal. 111.*

Cæteræ quæ post hanc sequuntur orationes, cùm nihil habeant spiritualis difficultatis quod non per se attentus quisque facilè posſit intelligere, sintq; priuatæ magis quàm publicæ, ad ipsius sacerdotis personam, pro digna sumptione, suorúmque peccatorum remisſione peculiariter pertinētes, idcirco sacri Canonis expositionem hucusq; perduxisse cōtenti, nostro huic expositionis tractatui finē hic damus. In ipsa operis conclusione, primùm quidem Deo

patri, Christo filio, & spiritui sancto, vni soli immortali Deo, à quo est omnia intelligentia, pro iis quæ nobis donauit intelligere, & intellecta ad fratrum vtilitatem conscribere, ex affectu cordis gratias agentes eiusque pro labore gratiam solam suppliciter & humiliter postulantes. Deinde & Christi, fideles omnes, præcipuè autem Christi sacerdotes, quorum est altissimo Domino per singulos dies iuxta ritus à patribus ordinatos, ac per nos in priori opusculi parte expositos, & iuxta Canonem à patribus item Orthodoxis compositum, quem & ipsum hac posteriori parte explanare desyderauimus, sanctum sacrificium & immaculatam offerre hostiam corporis & sanguinis filii Dei, quibus potissimùm labor iste noster desudauit, in vera charitate spiritussancti attentius deprecor, vt ante Dominum in suis orationibus sanctísque sacrificiis peccatoris huius memores, pro meis peccatis, offensionibus & negligentiis, in conspectu throni maiestatis eius intercedant: vt accepta peccatorum remissione, pérque gratiam eius vera iustificatione, ad ipsius merear aliquando claram visionem & perfectam fruitionem peruenire, de quo nunc multa secundum im-

Perfectam fidei cognitionem, sicut ipse donauit, fideliter descripsimus. Ad laudem & gloriam nominis eius, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat, trinus & vnus, viuus & verus Deus per omnia sæcula semper benedictus. Amen.

¶ Finit sacri Canonis expositio.

DEO LAVS ET GLORIA.

TRACTATVS SANCTARVM MEDITATIONUM

num in distinctiones septem, iuxta numerum dierum hebdomadæ diuisus, pro cordis in Deo constabilitione, per F. Franciscum Titelmãnum Hassellensem.

PRAFATIO.

VSQVE ADEÒ est mẽs humana instabilis & nulli vni fixa inhærens, vt impossibile sit eam non continuò de alio in aliud labi, si non omni vigilantia, cura, sollicitudine, & obseruatione continua, insuper *Instabilitas mentis humanæ.*

& aſſidua deprecatione ad Dominum,ſuccurrente Dei gratia,ad vnum aliquid ſtringatur. Experitur illud miſerè, & heu nimium miſerè, quiſquis à ſæculi negotiis ad Dominum cor ſuum quærit conuertere,Imò verò experiuntur & illi, qui à pueritia ad ſenectutem vſque diuinis iugiter inſtiterunt, & id ſumma quidem diligentia. Vix enim poſt multa tandem tempora aliquando contingit,vt conſtabilitam quis in vno ſummo bono mentem poſsit obtinere. Quod ſi fortè quibuſdam legimus contigiſſe. (Quandoquidem pauciſſimorum hæc eſſe ſcimus) credendum eſt, Dei ſpeciali dono magis, quàm humana ſedulitate hoc illis obtigiſſe. Eſt enim cordis noſtri opificium, patrum documentis, molæ aquariæ adſimlatum, quæ aquarum gyrata perpetuis impulſibus, non poteſt non volui atque reuolui. Cui ſi ſuper infuderis pretioſum quodlibet, vtputa triticum,aut hordeum,comminutum accipies quicquid infuderis. Sin groſſiora, vtputa arborum cortices,aut huiuſmodi,non melius expectes comminutum, quàm illi credideris confringendum: ita cordis humani cogitatio, volui nunquàm deſinit. Cæterùm, in te ſitum eſt, bonæ ſint aut malæ

Cordis humani opificium molæ aquariæ eſt aßimilatum.

cogitationes tuæ. Si enim ſancta animò tuo ſuperinfuderis, vel ex ſacra lectione, vel ex ſacra meditatione, vel ex ſacro colloquio, hæc eadem animo reuoluta accipies, in fructum vitæ æternæ. Noxias item meditationes, aut vanas, aut ſæculares ſi ſubminiſtraueris, erras expectans meliora. Denique ſi nihil omnino tu infundas, in ſeſe pereat neceſſe eſt molaris illa machina, & flamma vorax, quæ ex vacuitate excutitur vniuerſum opus conflagrabit, quod cui contigerit, ſciat ille detrimentum multò maximum ſeſe paſſurum. Quemadmodum enim nihil eſt homini corde ſuo excelſius: ſic maiorem iacturam facere nemo poteſt, quàm ſi cordis ſui iacturam, per torporem ſiue per malitiam, fecerit. Volenti igitur cordis ſui iacturam hanc præcauere, iuxta ſapientis conſilium ſit cura, vt omni cuſtodia ſeruet ille cor ſuum, ſitque ad illud cuſtodiendum peruigil noctu diúque, ſicut is cui theſauri magnifici cura credita eſt: vt nunquam ſic in vtranque aurem dormiat, quin & leuiſſimos quoſque furum rumores poſſit exaudire. Obambulant enim omni aſtutia & diligentia impiiſſimi dæmones, & circundant theſaurum cordis noſtri, ſi quomodo illum nobis valeant au-

1. Cor. 3.

Prou. 4.

ferre: siue clanculum subtrahendo, siue etiam publica oppugnatione & aperta pugna, rapiendo. Sunt, ad quos fures isti clanculum accedunt tanta subtilitate, vt nescias aut quando, aut quomodo ingrediantur, neque percipias introeuntes, neque egredientes persentias. Veluti cùm per vanam gloriam de bonis operibus nobis thesaurum hunc auferunt. Et huiusmodi sunt omnes hypocritæ, qui cùm se putent habere thesaurum bonorum operum amplissimùm, in nouissimo tamen inuenientur pauperes: quoniam omne præmium eorum fur occultus suffuratus est. Hoc iter est quo solet malignus ille & vafer diabolus, ad perfectiores accedere, ad eos qui sibi aliquid in via domini videntur profecisse. Alios aperta pugna aggreditur, quæ cœperunt bona opera vel proposuerunt, palàm eis auferendo: dum vehementi, & valida tentatione, debiles adhuc & resistendi minimè gnaros, à bono propsito aut bene incœptis, abducit. Volenti igitur inimico homini perfectè ostium cordis occludere, ne in agro cordis malorum valeat cogitationum seminare zizania, & cordis agrum non sentibus, neque spinis, neque viticis, sed potius bonis abundare frugi-

Diuersis modis tẽtat diabolus.

Contra diabolicas suggestiones optimum consilium

bus,modis omnibus eſt neceſſariũ,vt mentem ſuam in ſanctis meditationibus ſemper habere ſtudeat defixam. Ex quibus cùm fructificare cœperint, ſentiet ſanctorũ deſyderiorum exoriri abundantiam, & ignita ſuſpiriorum atque orationum procedere iacula, quæ inimici valeant præſentiam abigere, & copioſos lachrymarum atque amaritudinum fontes ſcaturire, in quibus extingui poſsint quàm facillimè ignita aduerſarii tela, quæ à longè in te impulerit. Neque tamen facilè eſſe poteſt, vt in ſanctis meditationib9 atque affectionib9 quiſquam perſeueret, niſi per ſingulos dies ſibi velut ſigna quædam habeat mens præſtituta, ad quæ ſemper aciem intellectus intendat, ad quæ rurſum quàm citiſsimè recurrat, quoties per corporis neceſsitatem vel paululum contigerit deflexiſſe,idq; in mediis etiam laboribus,aut occupationib9 externis. Quæ tanto ſunt acceptiora patri ſpirituum, quãtò minus ſpiritum faciunt à ſuo officio, (quod præeminet) relaxari. Nam id quod per ſe bonum eſt, ſi ſic tamen fiat, vt maius bonum præpediat, non perfectè acceptum erit illi, qui vt ſummè bonus eſt, ita ſublimius bonum diligit vehementius: tametſi & quantulumcunque bonum gra-

Ephe. 6.

Nota attentè.

tum habeat, quatenus bonũ eſt. Quanquã autem à prioribus patribus variis, varia ſint aſſignata hæc ſigna, neque hic tamen ordo, quem nos ad Dei gloriam modò præfigimus, inutilis erit eum experiri volentibus, poſtquàm in eo, conſueuerint, & radices fixas acceperint. Non tamen volumus has meditationum notas præfigentes, ſpiritui ſancto anguſtiam facere: vt non illum mens afflata cælitus, quocunque vocauerit, ſequatur: ſed nobis noſtríque ſimilibus (hoc eſt rudibus & inexercitatis) mentem & affectum in cæleſtibus defigere cupientes, aduerſus inſtabilitatem cordis obuiare quærimus: quod ſi vagari permittatur liberum, non diſtrahi ad plurima omnino non poteſt.

INCIPIT TRACTATVS ORDINEM PONENS

ſanctarum meditationum, iuxta ſeptem dierum numerum diſtinctionibus ſeptem diuiſus, incipiẽs à ſecunda feria, finem accipiens in dominico die.

DISTINCTIO PRIMA.

FERIA ſecũda, recogita quomodo Deus æternus in cœlis, trinus & vnus qui ante mundi creationé æternaliter beatiſsim⁹ ſemper erat, quando ſibi placitũ fuit, mũdi machinam & omnia quę in ea ſunt, creauit de nihilo, & ſimul omnes Angelos. In principio quidem cœlum & terram in confuſo, & omnium rerum pòſt fiendarum materiam, ſed ſequentibus ſex diebus diſtinxit res ſecũdùm ſuas formas. *Habẽtur iſta ſex dierũ opera.*

Primo die formans lucem & diem, cùm vſque tunc tenebræ fuiſſent in toto mundo creato. Secundo die firmamentum, hoc eſt cœlum ſtellarũ, per quod diuiſit aquas *Gene. 1.* quæ erant ſuprà firmamentum (hoc eſt, cœlum criſtallinum vel aqueum) ab aquis maris, quæ ſunt ſub firmamento. Tertio die iuſsit congregari aquas maris quæ prius terram ex omni parte circũdabãt, ad certas partes, vt terra appareret ex aliquibus partibus arida ſine aquis ad inhabi-

tandum, Quo facto, eodem die iussit terram proferre herbas & flores, & arbores fructiferas, & dedit illis omnibus semen suum, vt sic conseruarentur in specie quæ secundum numerum non diu erant duratura. Neque verò paruum est miraculum, quòd Deus in paruulo semine posuit talem virtutem, vt ex eo possit maximæ quantitatis arbor generari. Et valde hoc potest spem nostram erigere, qui licet iam sumus viles, tamen Deus potest nos multũ exaltare, propter virtutem spiritus, si fuerit in nobis. Hinc licet tibi oblectari in syluis & arboribus, campis & pratis, ea mente pertranseundo potius, quàm per ea corpore diuagando. Quarto die, fecit Deus Solem & Lunam, & Stellas, simul dans eis magnam virtutem & actiuitatem in omnes creaturas corporales: sicut patet experientia. Ibi considera miram solis virtutem, quomodo propter eius præsentiam in æstate omnia florent, in hyeme omnia emoriuntur. & intellige, quàm mirabilis est virtus luminis eius, quod plus illuminat mundum, quàm tot millia stellarũ, quæ omnes tamen sunt & numero plurimæ, & quantitate maximæ. Si ille tamen potens est illuminando, agendo, & viuificando:

Magnum est in semine miraculum.

quàm debet esse lucidus, actiuus, omnipotens, & viuificus Christus dominus, cuius ille est creatura vilis, & modica in comparatione ad totum vniuersum. Quinto die, fecit ex aquis pisces, qui in aquis manerent, & multiplicarentur per generationem, simul & cete grandia, fecit etiam aues & volatilia, quæ in aëre locum haberent: & benedixit eis, vt crescerent & replerent multitudine loca sua. Et attende, quàm sollicitè pisces & aues hoc mandatum Dei de sui generis multiplicatiõe obseruant: qui per singulos annos, constituto tempore tam solliciti sunt de generatione & multiplicatione: & quanta cura aues nutriunt pullos suos, donec adolescant.

Ex sole corporeo Christi cõsideratur potentia.

Sexto die, creauit de terra bestias & pecora, serpentes, & omnia quæ super terram sunt. Post omnia, creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Ad quod meditãdum tanquam præcipuum omnium operum quod nos cõcernit, recogita quòd Dominus in principio creãdo cœlum empyreum, creauit illud plenum nobilissimis creaturis, hoc est angelicis spiritibus: quorum aliqui propter suam pulchritudinem superbientes & elati, contra Deum creatorem suum, non dantes illi gloriam, sed

Hominis creatio, eiusque creationis origo.

ſibi ipſis, iuſto Dei iudicio proiecti ſunt in ignem æternum & damnationem perpetuam, in æternum non reaſſumendi ad miſericordiam, quia ſine aliquo motiuo prætio vel aliqua ſeductione, propria & plena voluntate contrà Deum ſe exaltauerant. Quorum plurimi adhuc remanſerunt in iſto aëre inferiori, ad nos exercitandos, propter profectum noſtrum, & probationem electorum, alii ſtatim protruſi ſunt in locum inferni. Omnes tamen, vbicunque ſint, habent ſecum infernum, & poſt iudicium extremum, omnes actu in baratrum ſimul demergentur. Boni verò Angeli, qui non ſunt elati in ſua pulchritudine, ſed dederunt gloriam Deo, ſunt per altiſsimam Dei miſericordiam ſtatim confirmati, ita vt imperpetùum à gratia & gloria Dei non ſint caſuri. Deus ergo videns illos ob ſuam culpam cecidiſſe, volens ruinam eorum ſupplere, voluit creare genus humanum, & creauit primum hominem Adam de limo terræ, ſexto die. Ex cuius coſta formauit etiam ei vxoré Euam, poſtquàm eum in paradiſum voluptatis tranſtuliſſet. Creauit autem Deus primum hominem omninò rectum, ſine miſeriis & infirmitatibus, quas nunc patimur. Diabo-

Bonorũ angelorũ à malis ſeparatio.

lus verò inuidens, quòd ſuum locum nos eſſemus accepturi, laborauit decipere hominem, per ſerpentis formam: & præualuit. Vnde nobis omnis miſeria eſt quá patimur, & mors, & infirmitas, & neceſsitates aliæ. Maximè autem paſsiones peccatorum gulæ, luxuriæ, iræ, inuidiæ, accidiæ, torporis, rancoris, amaritudinis, diſtractionis, iactantiæ, & alia multa mala, quæ per ſingulas horas nos moleſtát. Sed eſt attendendum, quòd propter hoc non debeam⁹ indignari contra primos parentes: quia ſi charitas Dei in nobis fuerit ad reſiſtendum, hæc omnia cedunt nobis ad maximum bonum: Iuxta Apoſtolū. Scim⁹, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et hic debet eſſe labor eorum qui ad perfectionem tendunt, vt quátum poſsint accedant ad ſtatum innocentiæ: vt quantum poſsibile eſt, non iraſcantur, neq; appetant inordinatè &c. Oportet autem nos ſæpe ingemiſcere, quòd tantum donum iuſtitiæ originalis perdidimus, & quòd per carnis concupiſcentiam tam multi pereant. Hîc etiam attende, quòd diaboli propter inuidiam nū quam ceſſant nos impugnare, & ad peſsima inducere, vt Dei propoſitum de noſtra glorificatione im-

Gene. 7.

Gene. 3.

Roma. 8.

pediant, quia Deum non amant. Sed angeli boni à Deo nobis in auxilium destinantur, quia dæmones sine eorum adiutorio, facillimè nobis præualerent. Cùm vnus ex eis plus valeat robore, quàm mille homines. Et in singulis hominibus (iuxta patrum sententiam) singuli angeli destinantur. Quos oportet in reuerentia habere, & hoc die singulariter recolere. Considera etiam Dei prouidentiam, quomodo nos secundùm animam creauerit tam nobiles quàm angelos, etiam ad imaginem & similitudinem suam: dans nobis intellectum, memoriam, & voluntatem. Sed ne superbia eleuati corrueremus, quemadmodum accidit diabolis. Ideò Deus istum thesaurum nostrum abscõdit sub vilitate carnis, thesaurum preciosum in vase fictili, & spiritum tam nobilem fecit domos inhabitare luteas: vt non eleuaremur in nobismetipsis, quando tam viles nos conspiceremus. Benedictus per omnia Deus, qui tam sollicitam de nobis curam gerit.

Nota sũmam Dei erga nos curam.

2. Cor. 4.

Iob. 4.

Attende deinceps, quomodo postquàm Adam de paradiso fuit expulsus, postquàm genuisset filios, statim cœperunt regnare peccata, quando Cayn occidit Abel fratrem suum, & deinde plura alia mala: ita

vt Dominus bis deleret homine,semel totum mundum diluuio, excepto Noë. Deinde quinque ciuitates igne de cœlo. Et tamen postmodùm per totum tempus legis naturæ & veteris, abundauit idololatria & omnia vitia: & Dominus semper tolerauit. Tandem verò cùm venisset plenitudo temporis, misit filium suum è sinu suo, vt verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Hîc sunt de Iesu humanatione dulcissimæ meditationes: quomodo angelo Gabriele annuntiante, de spiritussancti operatione, sine virili semine, sit conceptus: vt patet in illa suauissima Euangelica lectione, Missus est. Quomodo visitauerit Maria mater Domini Elizabet matrem præcursoris, & dulcia eorum colloquia, quæ habentur Lucæ. 1. latè explicatæ. Quomodo Maria cum Ioseph ascendens ad Bethleém, in peregrinatione peperit in stabulo, media nocte. Vide ibi Regem cœlorum: cuius mater virgo est, cuius pater Deus est, cuius Ioseph nutritius est, cui Angeli obstetrices & ministri. Vide Regem cœlorum, in omnimoda paupertate & austeritate, in stabulo iacentem, pannis vilibus inuolutum, in præsepio reclinatum inter animalia, quando vbique

Gene. 15. *Gene. 7.* *Gene. 10.* *Galat. 4.* *Ioan. 1.* *Lucæ. 1.* *Dulcissima de puero Iesu cōtēplatio.*

2.Cor.8. negatus fuit ei locus in diuerſoriis. Quomodo exinaniuit ſemetipſũ ꝓpter nos egenus & miſer factus, vt nos ſua inopia diuites & reges faceret. Audi in cœlo cantantes Angelos, Deo gloriam, & hominibus bonæ voluntatis pacem. Vide paſtores aduenićtes, & adora cum eis. Cum magis venientibus ad puerum adorandum, adiũgere, vt adores cum eis puerum: offer ei munera, aurũ, thus, & myrrhã. Meditare quomodo circũciſus, ſanguiné octauo die cœperit fundere pro nobis, qui tamen ſuprà legem erat, quando & dulciſsimũ Ieſu nomen ei fuit impoſitũ. Item quomodo fuerit in templo præſentatus, præſentibus Symeone & Anna: & pro eius redemptione ſunt oblati duo turtures, aut duo pulli columbarum: quia parentes non ſufficiebant præ paupertate agniculum offerre, qui erat oblatio diuitum. Item quòd Herode quęrente eũ, fugere debuit in Aegyptũ peregrinus. Et quomodo in templo inuétus ſit, duodecim annorum factus. Attende diligenter, quomodo Chriſtus ſubditus fuit per omnia parentibus ſuis, in omni humilitate & reuerentia, nihil dicens vel faciens (quod ſciatur ex ſcriptura) vſq; ad annum triceſimũ, quãdo baptizatus fuit à Ioanne,

Lucæ 2. Matth. 2 Lucæ. 2. Lucæ. 2. Matth. 2 Lucæ. 2. Lucæ. 3.

patris voce de cœlo prædicator factus. In quo condemnatur noſtra ſuperbia, qui nimium citò,& leuiter, & ſuperbè feſtinamꝰ ad officia ſublimiora. Vide prætereà omnē conuerſationē & prædicationē eius: peculiariter, perfectionē & exemplū abſolutiſſimum vitæ, quod omnibꝰ poſteris dereliquit, vſque ad tempus paſsionis.

DISTINCTIO SECVNDA.

FERIA tertia cōueniens videtur meditari Chriſti iudicium extremum, de quo habetur pulchrè in Euāgelio Matthæi cap. 25. Quod iudiciū erit ita generale, vt nullus ibi homo ſit defuturus, ab initio mundi vſque ad finem, nec quiſquam poterit ſe abſcondere, etiam in infimo inferni, qui non illuc ſit acceſſurus. Cōſidera quomodo ibi omnes ſtabimus æquales, vt nec regis & ſacerdotis, nec diuitis & pauperis, nec militis & monachi, vlla ſit futura diſtinctio: ſed tantùm fiet ſeparatio & diſtinctio inter malos & bonos, dum hi pro ſuis operibus accipient præmiū vitæ æternæ, illi verò mortis

Iudicium extremū erit prorſus vniuerſale.

Mat. 2
Ioan. 5.

æternæ ſtipendium, pro malis ſuis operibus. Conſidera iudicis illius potentiam, cuius ſententię pronunciatio, ipſa pronunciatione executionem accipiet: quoniam dicere Dei & facere, vnum ſunt: quod longè eſt diuerſum in hominibus. Nec quiſquam poterit hanc ſententiam impedire, ne ipſe quidem omnes turbæ diabolorum infernalium. Prætereà ſententiæ irreuocabilitatem, quia ipſe Chriſtus qui nunc ad vnius peccatoris preces facilè flectitur, tunc nec omnium ſanctorum & ſanctarum precibus reuocabit ſententiam, ſi pro aliquo vno omnes orarent. Conſidera iudicis ſummam ſapientiam, quem nemo quantũcũque aſtutus & callidus vel ſapiens, poterit decipere perſuadendo ei, ſe bona feciſſe quæ non fecit. Item quòd non ſit nobis ſpes, Deum fortaſſe multa peccata noſtra obliuiſci propter multa negotia, quemadmodum fit inter homines. Deus enim omnia quæ facta ſunt ab initio, ita exactè habet non in memoria, ſed in præſentia, quemadmodum nos ea quæ conſpicimus nunc ipſo actu coram nobis fieri. Et ipſe nouit ſingulis ſua opera, attribuere, neque imputabit mihi aliquid quod nó feci, aut etiam nihil aſcribet mihi

Deus omnia videt.

boni

boni vltra quàm feci,quoniã in eo nulla eſt ignorantia. Itaq; nemo ibi (propter iudicis ſummam ſapientiam) ſine merito ſuo ſaluabitur. Nemo etiã ſine culpa aut per calumniam, condemnabitur. Cuius tamen contrarium inter homines ſępe fit, vt innocente damnato, nocens ſeruetur. Tanta etiam erit iudicis æquitas & iuſtitia, quòd nullius accipiet perſonã, nec vllis tunc poterit blandimentis, aut minis, aut muneribus, à recta ſententia auocari, aut flecti à propoſito ſuo. *Hie.29.* Et ſi omnes dæmones, imò & angeli & homines, aduerſus vnum aliquem concorditer clamarent accuſando, quem ipſe nouit innocentem propter neminem aliter iudicabit quàm ipſe ſciat: quoniã in diuino iudicio, Deus iudex idem & teſtis eſt. Et ſi omnes homines teſtimoniũ perhiberent alicui hypocritæ, ipſe verò nouerit contrarium, non perſuadebunt ei. Gaudeat ergo quiſquis bene viuit, & eſt bonæ voluntatis, quia certus eſt, quod mercedem ſuam nemo ei tunc poterit auferre vel impedire. Pœniteat qui ſibi de malo eſt conſcius, quoniã certus eſt, quod nemo eum poterit adiuuare, ſi nõ rectè eſt ei cum Domino, quoniã Dominus *Pſal.74.* iudex eſt, qui ſine perſonarum reſpectu, pro ſolo operum merito vel demerito: hunc

damnat, illum exaltat. Super omnia autem quælibet fidelis anima studeat illud verbum. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi, in intimis meduilis cordis imprimere, & eius dulcedinem frequenter degustare. Item terrorem illius sententiæ. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, quoniam summum remedium est contra tentationes carnales & mundi illecebras. Non enim possunt melius titillationes & mundi blandimenta, quàm illo terribili sonitu, remoueri. Solent enim mollia duris pelli & blanda asperis. Denique tum Hieronym. siue comederis, siue biberis, siue aliud quid egeris semper tubam illam audire tibi videaris: Surgite mortui, venite ad iudicium.

Matt. 25.

Quia verò (secundum Apostolum) qui se ipsos iudicant, non condénabuntur à Domino: bonũ fuerit, vt hoc die iudiciũ particulare sibi homo constituat tanquã si coram Domino iudicandus astaret, vt sic intra sese quis cogitet, & alloquatur seipsum. Ecce Iudex vocat te hoc momento: festina, redde rationem responde interrogãti. Deinde ratio ipsa tua, vice Christi ascendat tribunal mentis, & interroget primò de singu-

1. Cor. 11.

Quomodo seipsum homo debeat iudicare.

lis cogitationibus, de quibus vt in plurimũ cogitas, an videlicet de iis quæ Dei ſunt, an de rebus huius ſæculi, de honoribus conſequendis, de pecuniis aut rebus ſimilibus coaceruandis, de amicis carnalibus, an de voluptatibus atque ita in cæteris. Suntque hæc ſeueriſſimè diiudicanda: quia ex cogitationibus oriũtur cætera omnia. Deinde examina ſingulas affectiones, quid ames, quid deſideres, in quibus delecteris, ſi in diuinis aut temporalibus rebus, &c. Item quid maximè odias, quid fugias, horreas, timeas, de quo iraſcaris, de quibus conturberis, propter quæ contendas, litiges: de quo verecundaris & erubeſcis: & ſic de ſingulis tam affectionibus voluntatis, quàm paſſionibus corporalibus ſenſitiui appetitus. Si enim plus odias eum qui carni tuæ faciat afflictionem, quàm eum qui tibi in ſpirituali profectu præſtat impedimentũ ſcito, quòd in malo ſtatu ſis. Si comperis quòd gaudes magis de afflictionibus quàm laudibus, dic animæ tuæ quòd ſit benedicta. Euge ſerue bone & fidelis, intrabis in requiem Domini tui. Quia verò nemo carnem ſuam odio habet, & quiſque ſibi facilè conniuet, oportet antequam hoc iudicium exerceas, quandam ſeueritatem aſſumere: Ephe.5.

& quaſi teipſum conturbare, & contra vitia iratū reddere: ita vt nihil diſſimules, nihil prætereas, ſed quicquid videris, quantumcunq; videatur paruum & leue, ſaltem propoſitū firmum facias illud emendandi, cum Dei gratia, quantum fieri poterit, & quantū per gratiam ſuam Dominus dabit.

Non contennenda eſſe minima.

Verbi gratia, de verbis inutilibus & iocoſis, de riſibus & aliis diſſolutionibus, de inutilibus vagationibus, de temporis perditione, & vana occupatione in friuolis rebus, & aliis huiuſmodi, maximè quæ impediunt mentis vnitatem: quæ parua eſſe non poſſunt, ſi hoc faciunt. Spiritualis enim homo, debet ſumma cura abiicere omne id quod pacem mentis & vnitatem cordis impedit. Alioqui nunquam ad perfectionem poterit peruenire. Quidam autem, quia hæc parua nō curant emendare, ad magna bona nunquam veniunt, imò econtrario, ad peſſima paulatim dilabuntur.

Illa potiſſimum vicia, quæ magis dominantur ſunt expugnanda.

Singulariter ante millia vitia, quæ videntur regnare in nobis, ſunt obſeruanda, & illis eſt acrius reſiſtendum, donec debilitentur per Dei gratiam. Oportet enim ſi rectè velis pugnare contra vitia, primò omnia arma mouere contra id quod eſt validiſſimum & fortiſſimum. Deinde facilis erit tibi, & de reliquis

triumphus atque victoria. Et si tibi difficile fuerit aliquod vitium expugnare, & nimis frequenter incidas in idem: constitue tibiipsi aliquam pœnam corporalem, satis duram: iuxta spiritus deuotioné. Nam carnalem concupiscentiam nihil reprimit melius, quàm ex alia parte eiusdem carnis afflictio. Deus quoq; afficitur nobis amplius, & sancti angeli, quando vident nos tam ardenter zelare pro expugnando tali vitio. Et sine dubio statim aderit gratia cælestis, & senties fructum pœnitentiæ tuæ. Homo enim qui seipsum pœna afficit propter amorem Dei, Deus eum vicissim consolabitur, propter bonitatem suam. Et vt sit hoc iudicium perfectius, bonum est recogitare omnia præcepta Dei, consilia quoque & exempla: & maximè essent relegenda & ruminanda illa Euágelii loca in quibus Christus hæc loquitur. Cuiusmodi est sermo Domini in monte, qui est totus moralis, in quo tota summa est præceptorum & consiliorum Christi, in quibus omnis perfectio cõsistit. Habetur autem in sermo Matthæi 5. 6. & 7. capitulis. Singulariter tamen octo beatitudines (quas habes in principio huius sermonis. 5. cap.) sunt frequenter meditandæ: quoniá in illis includuntur omnia.

Attēde. Hoc autem habe vniuersaliter, vt omne quod legis vel audis, nō vt scias, vel doctus fias, sed vt opere perficias, studeas intelligere. Neque cures de iis ex quibus nō potest vita tua melior fieri, aut affectus incendi, quoniam non est nisi materia distractionū variarum, & vnitatis fomentum.

DISTINCTIO III.

FERIA quarta, Festum spiritussancti tibi cōstitue, magnitudinem illius doni bene tecum perpendens. Est enim magnum valde, sine quo nihil potest homo Deo dignū facere, quicquid fecerit secundū exteriorem apparentiam, & per quę potest homo quæ supra naturam sunt, & ex se nullo modo posset efficere. Quem spiritū, nos omnes puri homi-
Ioan.1. nes ad mensurā Christi domini plenitudine accipimus: qui illū non ad mensurā à patre
Ioan.3. suo accepit. Qui etiam supra Christū in co-
Matt 3. lumbæ specie visus est, quando cælo aper-
Rom. 8. to vox patris audita est: Estq; spiritus ado-
Rom.5. ptionis filiorū Dei, qui (iuxta Apostolum)
Ephe.1. diffundit in cordibus nostris charitatem, &
Rom.8. pignus hæreditatis æternæ quam expecta-

mus, quem qui non habet, non eſt Dei, nec ad Deum pertinet, Quem quiſquis habet, filius Dei cõſtituitur per eum: & placẽs Deo, ſalus erit, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo. De hoc autem ſpirituſancto Chriſtus multa dicit in Euangelio pulcherrima verba. Si (inquit) vos qui eſtis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Item cùm ſteteritis ante reges & præſides propter nomen meum, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Nõ enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui nõ poterunt reſiſtere omnes aduerſarii veſtri. Hæc autẽ omnia, per ſpiritũ ſanctum. Item: Cùm venerit ille paracletus, quẽ mittet pater, docebit vos omnem veritatem, & ſuggeret vobis omnia quæ dixero vobis. Item: Arguet mundũ de peccato, de iuſtitia & iudicio. Et teſtimoniũ perhibet de Chriſto, quòd ſit filius Dei. Et (iuxta Apoſtolũ) quæ oculus vel auris nunquã poterant percipere, de nobis per ſpiritũ ſanctum reuelat. Et alibi. Spiritus adiuuat infirmitatẽ noſtrã, & poſtulare nos facit gemitibus inenar-

Luc. 11. *Mat.* 10. *Luc.* 21. *Ioan.* 14. *Ioan.* 16. 1. *Cor.* 2. *Rom.* 8.

rabilibus, clamans in nobis Abba: quod est, pater. Et ipse testimonium reddit spiritui nostro, loquens in nobis quòd filii Dei sumus nunc in spe, & futuri tandem in possessione. Ipse annunciauit nobis quæ ventura sunt, & futuram gloriam in cordibus nostris describit. Ipse illuminat, purgat à peccatis, & accendit affectũ amoris ad Deum, & detestari facit vitia & peccata. Recogita quanta olim egerunt per spiritũ Dei Patriarchæ & Prophetæ, maximè autẽ Apostoli (qui primitias eius acceperunt) qui antè imbecilles & timidi, post eius susceptionem debellauerunt omnem potentiam & secularem sapientiam, nihil creatum formidantes, propter superabundantẽ amorem Dei, quẽ infudit in eis abunde spiritussanctus. Relege gesta sanctorũ patrũ, qui post Apostolos extiterunt sanctitate notabiles, quã excellentem & mirabilẽ conuersationem habuerunt super vulgares homines per gratiã spiritus, quã ex se nunquã cõsequi potuissent.

Ioan. 16.

Et maximè vnusquisq; recordetur dicta, & facta, & signa eorum, qui suæ professionis extiterunt. (Exemplis enim familiaribus & peculiaribus, ac velut domesticis, amplius quàm perigrinis nostra prouocatur ad imitandum æmulatio) tum vt Deo

Quisque debet suæ professionis exempla attendere.

gratias agas,tum vt teipſum confundas,qui illorum cõparatione hominum, nihil es niſi monachus pictus, aut ſtatua Chriſtianitatis veſtibus ſuperinduta : & ita teipſum extimules ad æmulandum illorum patrum ſtudia atque feruoré, cum adiutorio eiuſdem ſpiritus. Sciens quòd ille idem ſpiritus, paratus eſt & hoc tempore dare omnibus petentibus auxiliũ, ſicut olim dabat:modò ſimiliter ſe præparauerint ad eius gratiæ ſuſceptionem. Sic igitur ſuper omnia ſpiritum Domini & eius dona ſancta,ſtudeamus deſyderare, & continuis precibus poſtulare: quoniam in veritate ſine eo nihil poſſumus dignum aut gratum Deo, facere.Sigillatim etiam eius dona recogitari & poſtulari poſſunt,quæ ſunt ſeptem.Sapientia,intellectus, conſilium in agendis,fortitudo ad viriliter agendum,ſcientia, pietas,& timor Dei, qui eſt initium ſapientiæ.Hæc enim dona ſpiritus, potiora ſunt, quàm quæcunque humanis acquiſita laboribus.

Nota.

Dona ſpiritus ſancti.

DISTINCTIO IIII.

FEria quinta ſit meditatio tua circa ſummum Euchariſtiæ ſacramentum. In quo ſuper omnia rememorari nos oportet illam familiarem nimis Dei noſtri

charitatem, qua ſic apud nos vult perpetuò manere præſentialiter, ſecundum ſuam humanitatẽ. Verè enim tam familiaris & charitatiua dignatio exigit, vt ſaltem vno die in hebdomada deuotius de hoc ſacramento meditemur. Maximè quantum ad ſacerdotes, qui hoc habent quotidie contrectare & ſumere: quanuis & aliâs quotidie in tempore ſacrificii miſſæ, & etiam pòſt in recollectionibus generaliter de ipſo ſoleamus meditari. Ante omnia ergo fidem noſtram debemus hîc exercere, vt non iudicemus ſecundum ſenſus groſſiciem, neque adoremus quod videm⁹ oculis exterius: hoc eſt, panis & vini ſpecies: ſed per fidem adoremus & reuereamur illum quem latere credimus, ſub his ſpeciebus. Totum (inquam) Chriſtum & integrum ſub panis ſpecie, & ſub qualibet parte integrum: & totũ etiam ſub vini ſpecie, & ſub qualibet parte integrum. Spe & charitate huic ſacramento ſic adhæreamus, vt quoties ſumimus, firmiter credamus noſtrorum nobis veniam donari peccatorum. In magna reuerẽtia habeamus omnia quæ ad huius ſacramenti pertinẽt miniſteriũ. Hîc ſacerdos recogitet cum humilitate cordis ſuam vilitatẽ viliſſimam, & ex parte altera Chriſti altiſſimam gloriam:

Quomodo adoranda ſalutaris hoſtia.

& humiliet se vsque in terrã. Cognoscat se indignum tanta potestate sibi à Deo collata. Rememoretur cum amaritudine fletus & pœnitentię, quoties accesserit ad sacrandum hostiã, nõ debitè præparatus, aut cum peccato, aut cum remorsu, aut totus torpidus plus ex consuetudine, vel mercedis spe, quàm ad honorem Dei. Laicus verò (cuius non est quotidie accedere) cõsyderet, quã tam debeat huic sacramẽto, & locis in quibus conseruatur, & ministris eius sacerdotibus, & omnibus vasis atque officialibus reuerentiam: & cum tremore assistent ministrantes sacerdotibus. Sacerdotes verò attendant, vt ex istis honoribus quos à laicis accipiũt non sibi placeãt ac superbiãt: quoniã nõ ipsis, sed deo ille honor pertinet. Ipsi verò magis humiliẽtur, dũ se agnoscũt non debitè fungi suo ministerio, propter quod tamẽ honorãtur. Meditare circa hoc sacramentũ, quòd sit memoriale efficacissimum dominicæ passionis & mortis. Iuxta illud: Quotienscunq; manducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ domini annũciabitis, Item hoc facite in meã commemorationẽ. Vt enim nõ veniret hominibus in obliuionem Christi benedicta passio & mors, suũ proprium corpus, sub alia tamen specie, no- *1. Cor. 11.*

bis reliquit. Nam si mortis Christi periret memoria, & fructus item eius periisset necesse est. Est etiam testamentum quod moriens legauit nobis, & dulcissimum amoris sui mnemosynon, hoc est, memoriale, & efficacissimum testimonium æternæ charitatis, qua vsque in finem Ecclesiam suam diliget. Nisi enim diligeret nos, & imposterum semper vellet diligere: nunquā nobis suum corpus tam familiari societate reliquisset.

Est tertiò amoris vinculum, quo nos sibi colligat, coniungit, constringit, atq; copu-
Ioan. 6. lat. Nam qui manducat hunc panē, manet in Christo, & Christus in eo: & ipse fit vnum cum Christo, & Christus cum eo. Et qui mādūcat eum, viuet propter eū. Quomodo enim possumus Christū nō diligere, si tam familiarem dignationem retinemus in memoria? Est quartò panis pascens animam nostram & spiritum, sicut corporalis cibus pascit corpus. Et sicut à cibo corporeo corpus intertenеretur in sua essentia, vita, robore atque vigore: ita per hoc sacramentū, spiritus noster vitā veram accipit, & verā fortitudinē, atq; vigorem. Et sicut corpus volens sumere cibū, cogitur debilitari ac tandem deficere: sic qui hoc sacramentū non vult frequentare, nec sacramentaliter

nec ſpiritualiter, non poteſt, in virtute ſpiritus diu perſiſtere. Ideo dixit Chriſtus: Caro mea verè eſt cibus: Et, Hic eſt pánis viuus. Verè enim eſt cibus, quod ſpiritum paſcit & cibat, potius quàm id, quod ventrem implet. Quintò eſt arra & pignus æternæ illius hæreditatis, quam expectamus. Credimus enim & ſpem habemus, quòd ſicut nunc manducamus hoc ſacramentum in via & reficimur, ita in futuro ſatiabimur in plenitudine eius, & inebriabimur, quando facie ad faciem eum videbimus: quádo & perficietur beata illa vnio, quæ hîc nunc per huius ſacramenti communionem cœpit initium. *Ioan. 6.*

DISTINCTIO V.

FEria ſexta, ſit fixa meditatio cordis tuí circa Chriſti amariſſimam paſſionem. Idq́;, vel totam ſeriem paſſionis ſummatim rememorando, aut aliquos vel aliquem ex articulis eius attentius meditando, iuxta quod te in affectu magis inflammari ſenties. Alii enim ſic, alii aliter facilius inflammantur. Et in eo articulo in quo te magis affici ſenſeris, & ſæpius & diutius cómorare. Super omnia autem attendendum in omnibus, quanto affectu & quanta cha-

ritate dominus Christus sustinuit quæcunque passus est, quod merè voluntariè & ex nulla coactione elegerit passionem propter amorem nostræ salutis. Adamauit enim genus humanum tãquam sponsam suam, adeò vt nihil ei visum sit graue, quo posset nos à morte liberare, & sibi coniungere in coniugium, & patri restituere in regnum æternum. Considera miram totius trinitatis & perfectæ charitatis erga nos operationem. Pater enim cælestis propter nimiam charitatem suam qua nos dilexit, propter seruos redimendos, misit filium suum ad tãta probra, iuxta illud, Proprio filio suo non pepercit Deus &c. Filius promptissima obedientia patri obediens fuit, in tam difficili iussione nihil remurmurans, sed factus est obediens vsque ad mortem crucis fœdissimam. Spiritussanctus in hoc opere non abfuit, quoniam ipse est amor qui patrem inflexit ad miserendum generi humano, & filium ad obediendum promptè patris imperio tam propter patris, quàm propter humani generis dilectionem. Attende hîc diligẽter infinitam & inflexibilem Dei patris iustitiam, simul & inscrutabilem eiusdẽ misericordiam. Nam mirabili iustitia sua, adeò Deus peccatum humani generis noluit di-

Tota trinitas in nostra redemptione est operata.
Philip.

mittere impunitum, vt propter illud, suum filium innocentem, sibi æqualem voluerit tradere in manus impiorum, ad moriẽdum crudelissimè: & tamen adeò erga nos misericors fuit, vt pro seruis redimẽdis nequissimis, & semper rebellibus suo imperio, nó dubitauerit filium morti tradere. Ecce quomodo misericordia & veritas seu iustitia, obuiam processerunt sibi, in amplexus & osculo mutuo. Et quanquàm variis modis sanctæ passionis possit haberi memoria, iuxta patrum documenta, hîc tamen breuiter distinguimus decem Christi itinera, sub quibus totam passionis historiam concludimus. Primùm iter est quo Christus à deserto Effrem, in quo erat quádo Lazari infirmitas ei nuntiabatur, venit iterum in Iudæam, ad Lazarum resuscitandum (quem tamen potuisset æquè absens verbo resuscitare) dissuadentibus Apostolis & dicentibus: Ecce iam quærunt te lapidare & interficere, & iterum vadis illuc? Ascendit nihilominus sciens patris voluntatem, & horam passionis iam esse in proximo, iuxta quod ipse dicebat. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. Ergo bene præscius omnium istorum, noluit remanere in loco vbi tutus

Psal. 84.

Passionis Christi meditatio per decem itinera.

Ioan. 12.

Matt. 20.

erat timore mortis ductus, ſed propter noſtram ſalutem acceſſit ad Hieruſalem, vbi ſciebat inimicos ſuos de morte ſua tractatum facere, & conſpirationes. Item voluit in dominica palmarum tam glorioſo trium-
Matt.21. pho in Hieruſalem intrare, quáuis ſciret ex hoc amplius inimicorum ſuorum inuidiam
Ioan.12. extimulari. Item Mariam Magdalenam in conuiuio aduerſus Iudam excuſauit, quanquàm ex hoc ſciret ſuæ traditionis cauſam exorituram. Item ad cœnam nouiſſimam cum diſcipulis feria quinta accedere voluit,
Luc.22. etiam cum Iuda, quem iam ſciebat ad tra-
Matt.26 dendum ſe oportunitaté quærere. Hucuſq; ergo primum Chriſti iter perdurat. Quod verè durum fuit venire vltrò ad locum, vbi certò ſciret eſſe fundédum ſanguiné ſuum, per odium inimicorũ peſſimorum, cùm potuiſſet tuto loco manere extra Iudæam magno honore, in aliis regionibus. Eamus ergo & nos cum ipſo, doloré eius expectátes, ſimul & ſuſtinentes in nobiſmetipſis partem laboris & doloris eius, quoniá magni ſunt. Secundum iter eſt à cœnaculo (in quo ſatis tutus erat, & in quo ſi permanſiſſet captus nũquàm fuiſſet) ad montem oliueti ad villá
Ioan.18. Gethſemani: vbi intrauit hortum ex more ad quem præciuit optimè, Iudam prodito-

rem cum turmis eſſe vẽturum. Introgreſſus eſt tamen, per omnia ardens & ſitiens noſtram ſalutem perfici. Conſidera, quomodo hic in via poſt dulciſſimos ſermones ſuos, tandem cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, pauere & tędere vſque ad mortem, ex horrore ſenſitiuæ partis, derelictæ in ſua operatione. Ex qua etiam patrem ter rogauit, ſi poſſibile foret, calicẽ auferri ſibi ne biberet illum. Et tãdem factus in agonia præ nimio labore, prouolut' in terrã, ſanguinis guttas decurrentes ſudauit: ita vt vellet ab angelo dominus angelorum cõfortari, qui ſibi voluntatem patris clarè propoſuit, & ſecundũ patri voluntatẽ confortauit. O iter verè durum, accedere ad ipſum locũ, & intrare cõcluſum hortum, ad quẽ ſciebat turmam hoſtium certiſſimè venturam ad ſe capiẽdum. Quis dubitet quin volũtariè pleniſſimè ipſe paſſionẽ ſuam ſuſtinuit, quã penitus diuinitate reuelãte apertè cognouit? Dixit enim, In poteſtate mea habeo ponere animã meã, & cùm voluero reſumere eã. Et nemo violenter tollit eam, à me, ſed de propria volũtate pono eam. Tertium iter fuit, quãdo à diſcipulis ſuis dormientibus, quos alloquebatur, proceſſit obuiã hoſtibus, interrogando eos audacter iuxta ordinem quẽ Ioãnes

Mat. 26.
Mat. 26.
Luc. 22.
Ioan. 10.

ſcribit. Ieſus auté ſciens omnia quæ ventura
Ioan. 18. erát ſuper eũ, proceſsit, & dixit. Quem quę-
ritis? Illi autem reſpóderont. Ieſum Naza-
renũ. Reſpondente auté Ieſu, Ego ſum: ad
illius verbi virtuté omnes proſtrati ſunt in
terrã, veluti mortui, vt vel tũc cognoſcerét
Dei potentiã Chriſto ineſſe, vt ſi vellent,
poſſent conuerti à ſuo malo propoſito, &
excuſationé non haberét ignorantię. Poſt
verò, reddita eis priſtina virtute, iterũ eos
interrogans & nihil emendatos inueniens,
permiſit eis in ſe poteſtatem: vt ſe compre-
henderent, ligarent, & pro ſuo placito tra-
ctarent, ac de eo facerent quicquid vellent.
Luc. 22. Atq; hoc voluit, cum dixit: Venit nũc hora
& poteſtas tenebrarũ, quãdo filii tenebra-
Mat. 26. rum poterũt facere quicquid volent in me.
Hic conſidera, quomodo ab omnibus de-
relictus diſcipulis, à Iuda etiã traditus per
oſculũ, ſolus remanſerit, quomodo in eum
irruerint, quomodo eũ conſtrinxerint, &
quantã violentiã ei per omnia fecerint, tã-
quam inſanę beſtiæ in predã irruẽtes. Ama
rũ profectò iter: quo obuiã perrexit agnus
Dei lupis ferociſſimis, & leonibus rugiẽti-
bus præparatis ad predã, & vrſis in ſilua ſę-
Ioan. 10. uientibus. Quartum iter fuit ab horto in
quo ligatus & captus fuit, ad domũ Annæ

primùm, & deinde Cayphæ, vbi interrogatus fuit de doctrina & discipulis suis, & alapa percussus à seruo pontificis: Deinde & cõsilio præsentatus, & à pontifice interrogatus, post veritatis respõsionem ab omnibus tanquã blaspemus reputatus, & mortis reus iudicatus: velatis oculis illuserunt ei, dicẽtes: Prophetiza Christe quis est qui te percussit? Quasi verò lineo tenui velamine oculis clausis iam non videret percutientes, qui iuxta diuinitatem contuetur, etiam sine oculis, abditissima terrarum & marium, & omnia quę in abyssis sunt: Graue iter fuit sine dubio, quo ad talem examinationem ignominiosam, & condemnationem pergebat. Quintum iter fuit, à concilio Iudæorum, seniorum & scribarũ ad Pilati prętorium, summo mane: quando vinctus manibus tanquam latro, & iam cõdemnatus, traditus fuit in manus gentilis potestatis: quoniam Pilatus gentilis erat, à Cæsare cõstitutus, sine cuius iudicio nemo potuit a Iudæis capitali plecti sententia. Coram hoc ergo Pilato de multis eum accusantes, dixerũt. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christũ regem esse. Et iterum. Cõmouit populum

Mar.14. *Lucæ.22.* *Matt.27* *Luc.22.*

docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Hoc autem factum est, vt esset tantò grauior Christi passio, quòd etiā à præside gētili deberet iudicari, iuxta quod prędixit ipse. Filius hominis tradetur principibus sacerdotū, & ipsi eum condēna-
Mat.20. bunt morte in suo cōcilio. Quo facto propter executionē suæ sentētiæ obtinendam, tradent eum consequēter gentili potestati, ad illudendum, flagellandum, & crucifigēdum. Non fuit hoc iter Christi sine magna contumelia, sanctum sanctorum deduci ad iudicādum ab illo, cuius nec domum impii Iudæi vellent intrare, ne contaminarentur. In quā tamen Christum coēgerūt introire.
Ioan. 18. Sed iste ingrediēs nō est pollutus. Ipsi verò tametsi foris permanserunt, supra modum sunt innocentis morte contaminati. Vt non contaminarētur, non audebāt intrare prætorium, scilicet sanguinem innoxium nihil formidant effundere. Sextum iter fuit, à Pilato ad Herodem, & ab eo ad Pilatum reuertendo. Quemadmodum enim Euangelium scribit, cognito à Pilato, quod Chri-
Luc.23. stus (vtpote Galilæus) de Herodis esset potestate, remisit eum ad Herodem: Herodes verò gauisus de eius aduētu, sperabat signū aliquod videre, se postquàm multis inter-

rogatus ſermonibus, non vellet curioſitati Herodis vel verbo vel ſigno ſatisfacere, ſpretus alba veſte, remiſſus eſt cum maximo probo per medium ciuitatis, ad Pilatum. Hoc iter plenum ignominia fuit, quo æterna patris ſapientia, fulgens gloria in medio angelorum, per medium ciuitatis palàm pertrahitur, veſtimentum ſtultitiæ ſuperinduta. O quomodo mutata eſt gloria tua, domine Ieſu? quomodo obſcuratum eſt in terra, aurum pretioſiſſimum? Septimum iter fuit, quando poſt reditum ab Herode, inſtantibus aduerſariorum vocibus, Ieſus à Pilati miniſtris crudeliſſimè ſuprà modum flagellatus, & ſpinea corona coronatus & illuſus arundine, in ſignum falsò ſibi vſurpati regni indutus veſte regia, à Pilato adducitur ad publicum, vt videretur in tali miſeria ab omnibus pręſentibus, magnis atque paruis, omnibus conclamantibus eo viſo: Tolle, tolle, crucifige eum. Non enim habemus regem niſi Cæſarem. Verè hoc iter indignum fuit filio Dei excelſi, vt fieret populo ſpectaculum miſeriæ & ignominiæ.

Fige attẽtionem animi.

Ioan.19.

Octauum iter fuit, quando timore imperatoris perterritus Pilatus adduxit eum ad tribunal. In quo loco accepit extremam mortis & crucis ſententiam, proteſtante

Matt,27

nihilominus Pontio Pilato de Christi innocentia, & dicente, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, quando omnis turba respondit. Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et eodem itinere statim post iudicium illud ductus fuit ad atrium præsidis, vbi totam cohortem milites conuocauerunt ad illudendum ei, vbi exuerunt eum purpura, quæ iã decocta fuerat in vulneribus, & propria vestimenta induerunt eum. Durum omnino iter, quo iudex omnium populorũ, qui sine peccato ab ipso iudice comprobatus est, sententiam mortis turpissimè accipit in se contra omne ius, diuinum atque humanum. Nonum iter fuit, à domo & atrio Pilati mortem Caluariæ, qui erat publicus iustitiæ locus, vbi omnes rei interficiebantur: de quo scribit Euangelista. Exiuit Iesus baiulans sibi crucem, in eum qui dicitur Caluariæ locum. Ad quem cùm peruenissent, dederunt ei bibere myrrhatum vinum: & exuentes eum, super crucem proiectum, cruci affixerunt eum, per manus & pedes, extendentes eum in ligno, sicut neruum in arcu, cum infinito dolore. Hoc itinere quid potest esse abominandum magis, quo ad mortem vadit vita, & Deus sanctus in medio duorum latro-

Ioan. 15,

num & nequam, ad locum fœtoris & publicæ iustitiæ? Decimum iter erat, quando à terra (super quam iam affixus cruci iacebat) eleuatus fuit in aërem, de qua eleuatione prædixerat. Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. *Ioan.12.* Hîc recogita immensum dolorem quo fuit afflictus, quando tribus horis viuens in cruce pependit, extensus sicut neruus in arcu: ita vt foramina manuum ac pedum paulatim aperirentur amplius, quando factum est cor eius sicut cera liquescens, in medio ventris eius, quando fossis manibus & pedibus dinumerauerunt omnia ossa: quando ad omnem pœnam prætereuntes blasphemabant eum multis modis, sicut in Euangelio habetur, imò ipse latro qui ei appendebat, quando in medio latronum suspensus fuit aliis duob⁹ altior, felle quoque & aceto potatus, in siti sua. Et super omnia duplicauit ei pœnam matris dolor astantis iuxta crucem: & cęterorum amicorum suorũ, qui eum comitati fuerant à Galilæa. Hîc etiam illa dulcissima septem verba recogita, quæ Christus in cruce locutus est. Primum est. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: quod est verbum altissimæ charitatis. Secundum ad latronem. Hodie

Psal.21. *Mat.27.* *Lucæ.23.* *Lucæ.23.*

Ioan. 19. mecũ eris in paradiſo, quod eſt verbũ ſum-
mę clemẽtię. Tertiũ. Mulier, ecce filiꝰ tuus.
Et: Ecce mater tua, quod eſt ſignũ maternę
dilectiõis, & curę ſuę erga diſcipulos. Quar
Ioan. 19. tum. Sitio, quod eſt verbũ deſyderatiſsimi
feruoris. Quintũ. Heli, Heli, lamazabatha-
ni? quod eſt expreſsiuũ ſummæ afflictionis
Lucæ. 23. & miſerię. Sextũ, Cõſummatũ eſt, quod eſt
verbũ omnimodę perfectionis. Septimum:
Pater in manꝰ tuas cõmẽdo ſpiritũ meum,
quod eſt verbũ pleniſsimæ cõfidẽtię & re-
ſignationis. Hoc eſt vltimũ iter quod in hoc mũdo fecit Dominus, quãdo exaltatꝰ fuit à terra in altitudinẽ aëris, vt eiꝰ ignominia nota fieret omnibꝰ ciuibus & extraneis, quia ſecus viam erat locus crucis. Sũt duo alia itinera, deſcenſus ad lymbũ inferni, & reuerſio ad vitam. Verùm illa in hoc die non cõſtituto, ſed in alios dies reſeruo.

DISTINCTIO VI.

SAbbato verſa ob oculos mortem Chriſti, & attende ſepulturã eius: quomodo tanquã mortuꝰ homo qui eſſet corrumpendus, & incinerandus, ſit in terra re-

conditus, & ſepultus. Tamen conſtat, quòd diuinitas erat corpori ꝓ balſamo, ita quòd non computruiſſet corpus etiam ſi pluribꝰ diebus mortuum permanſiſſet. Balſamatum enim erat, balſamo precioſiſsimo diuinitatis. Fides enim chriſtiana nos docet diuinitatem permanſiſſe in triduo mortis, tam corpori quàm animæ licet ſeparatis, vnitam ſicut prius quando erant coniuncta. *Diuinitas erat corpori pro balſamo.*

Stude inſuper conſiderare, quomodo ad hoc Chriſtus mortuus eſt, vt nos doceret mori debere peccato, & concupiſcentiis non amplius viuere. Configuremur ergo morti eius, proponendo membra noſtra & ſenſus noſtros, & omnes vires mortificare: propter hoc, vt aſsimilemur morti Chriſti. Hoc autem fiet, proponẽdo firmiter ab omni conſolatione carnali & delectatione velle abſtinere, & carnalibus concupiſcentiis penitus renunciare, neq; eis vltra obedire: ſed ſolùm quantum neceſsitas exigit velle ſatisfacere. Et ad hoc valde proſunt exempla ſanctorum Patrum, quibus olim tanta erat cura non delectãdi in vllo creato: vt nec in cibo, nec in potu) quantum eſſet poſsibile) vllam vellent accipere conſolationẽ. Et quia tam abundanter Chriſti mortificationem in corpore ſuo circũtule- *Rom. 6.* *Philip. 3.* *Roma. 6.*

runt etiam abundãter à Christo sunt glorificati, & copiosissimis gratiis dotati. Quantum enim omnem terrenam & carnalem fugerunt consolationem propter Dei amoré, tantò abundantior fuit in eis spiritus consolatio, quę omni carnali delectatiõi in infinitum præponderat. Item quia hoc die specialem memoriam de Christi morte facimus, per occasionem valde congruum fuerit, vt hodie se homo singulariter ad mortem disponat, & de morte meditetur, se examinando, ac in tali statu vellet mori, quo viuit, & deinde se disponendo, & plenè resignando: in manus & voluntatem domini Dei, Sicut Christus in manus patris omnia constituit, dicens. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Rogantes eũ, vt nobis mortem sanctam donare dignetur, & horam ac tempus conueniens, ne in peccatis obruamur. Vehementer enim expedit, vt homo sæpe ad mortem secundum voluntaté Dei se resignet, quoniam hoc per medium, ille carnalis timor & horror, qué sęcularia corda habent, propter amorem huius vitæ, de morte abiicitur ex animo, & incipit homo iam non timere mortem. Et si quando contigerit casus subitus periculi mortalis, vt in peste, vel aliis periculis, quæ sunt mille,

Attẽde & accepta salutare consilium.

nõ eris sic cõsternatus, quẽadmodú ille qui nunquam solitus est se ad morté disponere aut resignare. Item etiã mediũ & modũ, & genus vel locũ mortis, Domino cõmittas, vt ipse disponat secuddũ honoré suum & nostram vtilitatem, siue domi, siue foris, siue naturali morte, siue subita, aut violétia, siue peste, siue fame, siue igne, siue gladio tantùm, vt in omnibus honorificetur Deus, tam in morte quàm in vita. Multis enim sic expedit mori, aliis forsitã aliter. Salubre enim est plurimis, quòd subitò auferantur, quando in bono statu sunt dispositi. Multis ad augmentum proficit gloriæ, longa & grauis ægritudo. Et gloriosior est mors eorũ, qui pro veritatis testimonio cadunt, quàm qui naturali morte in lecto suo leniter obdormiũt. Non parui est meriti sine dubio, plena ad mortem resignatio, secundũ Dei voluntatem, & perpauci inueniũtur, qui se hîc bene exercitant. Propter quod adueniente mortis tempore etiã qui iusti vídebantur, sæpe nimium formidant, & Domino obuiã non nisi tepidè admodũ, & potius necessitate quàm amore, pergunt. Quòd si perpenderemus Dominũ nostrum Christum Dei filium, hanc mortis pœnam ante nos suscepisse, cùm eius debi-

Quo ad mortẽ & vitã Deo sunt committenda omnia.

Turpe est Christiano mortem horrere.

tor nõ esset, vt nobis animũ adderet: quomodo fieri posset vt formidaremus illuc sequi, quò ille præcessit? An meliores volumus Domino nostro haberi, vt velimus mortem effugere, quam millies sumus cõmeriti, quum ille propter nos libenter susce pit, qui eam nunquam commeruit? Horum ergo meditatione exardescat desyderium, vt & tu libenter pro Christi amore, & patris voluntate, velis mortem remissionem omnium peccatorũ suscipere, sicut & Chri stus eam pro tuo amore & tua vtilitate suscepit. An tam erimus negligentes nostræ salutis, vt illa pro nobis nolimus sustinere, & pro nostro cõmodo, quæ pro nostra nõ sua vtilitate, Dominus noster suscepit?

Descẽsus Christi ad inferos.

De descensu autem Christi ad inferos, recole, quanta ibi gaudia suscitauerit, quãdo sedentibus in tenebris & vmbra mortis, totus festiuus illuxit sol iustitię, educens eos de carcere, & transferens in paradisum iucũditatis: quò & latro ille bonus eum est comitatus, iuxta promissum: Et sub articulo descẽsus Christi ad inferos, recole memoriam defunctorum, & animarum quę in pœnis consistunt purgatorii: vt per virtutẽ crucis, mortis, & rosei sanguinis, dignetur ad animas liberandas descendere, quas re-

demit eodem & abluit, & pro quorum pec catis moriens ſatisfecit. Dignũ eſt quoque, vt hoc die Chriſti matris Mariæ compaſsioné, fideliter & pia mente recolamus: in qua vna hoc triduo totũ ſtetit fidei fundamentum, Apoſtolis diſperſis per fugam.
Vide doloris gladiũ, quo perforabatur ma *Lucæ.2.*
ter Ieſu: cùm iſtas omnes paſsiones prçteritas, continua meditatione penſitaret. Conſidera eius indeficiétem fidem, ſpem, & charitatem erga Deum patrem, & Chriſtum filium eius: quando nec in morte turpiſsima filiũ reliquit, negauit, aut diſsimulauit: ſed audacter etiam iuxta crucem ſtabat, Chriſti improperium in ſe portans, & totá paſsionis pœnam in ſe ſuſcipiens.

DISTINCTIO VII.

DIe dominico, qui eſt ſéper feſtiu⁹ & plen⁹ gaudio, meditare, quomodo Chriſtus poſt triduum quo mortuus iacuit in ſepulchro, ſurrexit à mortuis, mortem relinquens propria virtute, eodem modo, & æquali facilitate, qua homo à ſomno re-

ſurgit, atque etiam facilius: quoniam qui in ſomno eſt, non quando vult poteſt exurgere, ſed quando eum ſomnus dimittit, vel ab alio excitatur. Chriſtus autem per propriam virtutem diuinitatis, quæ permanſerat & in corpore & in anima (vt dictũ eſt) quãdo voluit, ſeipſum reſuſcitauit, reuniẽdo benedictam illam animã, benedicto corpori. Neque obſtat quòd pater dicitur filium ſuſcitaſſe à morte, in ſcripturis ſanctis. Nõ enim pater ſic filium reſuſcitauit quaſi impotentem reſurgere, & in ſe virtutẽ non habentem reſurgendi, ſicut cæteri homines cùm mortui fuerint: Sed idcirco pater eum ſuſcitauit, quia diuinitatis eſſentiam & virtutem (per quam Chriſtus reſurrexit) à patre accepit, & accipit ſemper. Sicut etiam omnia quæ operatur filius, à patre dicitur operari, quia omnem virtutem habet à patre. Conſidera quomodo illud corpus quod fuit die paraſceues ſepultum & ſeminatum in terra, tam miſerabile vulneribus, tam liuidum verberibus, tam pallidũ præ defectu omnis ſanguinis, tam graue & ponderoſum, nunc reſuſcitatum eſt ad immortalitatem: Iuxta illud. Chriſtus ex mortuis *Roma. 6.* reſurgens, non amplius moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim mor-

tuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. Surrexit autem omnino glorificatus in magna ſubtilitate: ita vt iam poſſet penetrare oſtia clauſa, & ianuis clauſis ad ſuos intrare in tanta agilitate, vt iam vltrà teneri non poſſet, in omnimoda quoque impaſsibilitate & incorruptibilitate. Hîc potes recogitare apparitiones diuerſas, matri & aliis mulieribus, vel diſcipulis factas, iuxta quod in Euangelio deſcribuntur, & ea quæ infra tempus aſcenſionis peregit, ad confirmationem ſuæ reſurrectionis. Deinde meditare, quomodo dominus Ieſus peracto peregrinationis ſuæ tempore quòd à patre acceperat, reuerſus fuerit ad eum à quo exiuerat, aſcédens propria ſua virtute (quæ ſibi inerat) ad cœlum, deferens illuc noſtræ mortalitatis ſaccum, carnem humanam quam hîc acceperat. Quanta tunc fuit lætantium angelorum gloria, & qualis feſtiuitas in cœlis. Congaude ergo & tu cum eis, iuxta illud Apoſtoli. Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſupra terram. Illic denique noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Vide quantum carnis noſtræ humilitatem exal-

Colo. 3.

Gregorius.

tauit bonus Iesus, quando eam super omnes spirituum beatorum ordines secum tulit, & ad dexteram patris immensa claritate collocauit. Considera attentissimè illud regnum quod Christus in dextera Dei sedens tenet, postquàm data est ei à patre, etiam secundùm humanitatem omnis potestas in cœlo & in terra, & quomodo sit cõstitutus à patre iudex viuorum & mor-
Mat.26. tuorum, qui olim stabat ante Pilatum præsidem, iudicandus ad mortem. Quàm magna est nunc eius authoritas, & quàm ex-excelsa gloria, ad quam per tam abominanda venit opprobria. Corroboremus hîc spem nostram, quoniam Christus ascendens in cœlum omnibus nobis viam patefecit. Nec enim sibi soli intrauit vitam, sed nobis omnibus eandem viam fecit calcabilem, quam ipse primus aperuit ac transiuit: & tanquã primogenit⁹ mortuorũ deuictis
Apoc.1. aëreis potestatibus, per gloriosam victoriã obtinet hæreditatem, quam etiam precio sanguinis sui omnib⁹ cõparauit credẽtibus
Ioan.17. in eum. Hoc enim iam antè prædixit, ad patrem loquens. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem & in se etiam recipiant, quam dedisti mihi. Et ego claritatem quam tu dedisti

tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnũ, sicut & nos vnum sumus. Item ad discipulos in cœna nouissima. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno patris mei. Et in Apoca. Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut & ego vici: & sedeo in throno patris mei. Verùtamen qui vult ad gloriam sequi Dominum, sequatur primùm viam pœnitentiæ, & vias duras, per quas ipse præcessit: alioqui frustrabitur spes nostra, & in nouissimo vana comprobabitur. Sic enim ait. Qui mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic sit & minister meus. Et si non compatimur, nec conregnabimus: Qui enim nunc recusat insequi vestigia Christi in via pœnitentiæ, non poterit eum sequi pergentem ad patriam cum gloria. Considera, quanti exercitus sanctorum hominum post Christum secuti fuerint, per vtranque viam, & quàm multa nunc milia illuc intrauerint, quę perpetuò cum Domino exultant, & gaudent sine fine. Et tu quoque excita desyderium tuum, cœlestium consideratione gaudiorum: vt cupias magis dissolui & esse cum Christo, quàm in carne permanere. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra

Luc. 22.
Apoc. 3.
Ioan. 11.
2. *Tim. 2.*
Phllip. 1.
2. *Cor. 5.*

huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habeamus ex deo æternam in cœlis. Neq; grauis nobis erit quælibet in hoc mundo obueniens tribulatio, si in méte teneamus illa eterna gaudia, ad quæ scite teneamus illa eterna gaudia, ad quæ scimus dominum Christum, & omnes martyres, & sanctos, per multas tribulationes peruenisse, siue quas ab aliis persecutoribus sustinuerunt, siue etiam quibus seipsos propter Dei amorem afflixerunt, in castigatione carnis, & mortificatione assidua. Quæ quantò maior in terris extitit, tantò maior est claritas eorum in cœlis Dum verò sic filii Christi intendis gloriæ, ad quam est assumptus, oportunũ habes transitũ ad contemplationem quoq; sublimiorem æternæ & inmensæ, & super benedictæ trinitatis: adorando Deum vnum & trinum super omnia benedictum, & confitendo simplici corde & animo, quicquid de eadem iuxta tuam capacitatem in sancta catholica Ecclesia didiceris: hoc pacto. Adoro te beata trinitas, pater, filius & spiritussanctus, vnum verum & viuum, æternum & infinitum Deum, vnum omnipotentem & sapientissimũ & optimum, vnum regem & dominum omniũ: nõ tres Deos, aut dominos, aut tres omnipotentes. Cre-

Cõtemplatio super benedictę trinitatis.

do in vnitate ſubſtantiæ tres eſſe perſonas, patrem & filium & ſpiritũ ſanctum, vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ & virtutis, ſic perſonaliter diſtinctas: vt pater non ſit filius neq; ſpirituſſanctus, & filius non ſit pater nec ſpirituſſanctus, & ſpirituſſanctus, nec pater nec filius: eandẽ tamẽ ſubſtantiã atq; eſſentiã credo eſſe patrẽ & filiũ & ſpiritũſanctũ. Adoro te pater omnipotens, qui à nullo procedis, à quo filius & ſpirituſſanctus procedunt. Adoro te fili, qui æterna generatione de patre naſceris, & ex patre procedis, verbũ patris, ſicut lumen de luce, patri coæternus & conſubſtãtialis & per omnia coæqualis. Pater te gignit æternaliter, & tu æternaliter ſemper de patre gigneris. Te adoro Deus ſancte ſpiritus, qui a patre & filio pariter procedis. Tu es amor ille dulciſsimus quo pater filio, & filius patri nectitur in vnitatem ſubſtantiæ, & vna es eademq; ſubſtantia, patri & filio per omnia conſubſtantialis & coæqualis: ita vt in hac trinitate, nihil ſit prius & poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſint & coæquales. Hæc autem licet alta ſint, tamen quæ hîc poſita ſunt, ſimplici modo oportet aliquando meditari, propter fidei

Sanctæ trinitatis catholiqua adoratio.

Orthodoxæ habendam ſcientiam:nihil tamen vlterius peruestigando curioſè quæ ſupra nos ſunt:niſi quantum Dominus vnicuique dederit. Sunt verò nõnulli,qui per omnia nihil volunt attingere de fide trinitatis,eo quòd ſit ſublimis contemplatio:ita vt plurimi etiam magni ingenii & magni ordinis, & gradus in Eccleſia(vt clerici & preſbyteri) neſciant quid de beata trinitate debeant ſentire, & pronuntiare,de quibus metuendum eſt, ne ignauiam ſub humilitatis prætextu foueaut,dicentes ſe nolle curioſè de iſtis altioribus inquirere, omittẽtes interim etiam quæ neceſſaria fuerant cognoſcere. Ad qualencunque autem benedictæ trinitatis habendam notitiam, & quantum ſufficit ad intelligendam proceſſionem perſonarum ab inuicem,analogia eſt accommodiſsima,lucis,luminis,& ardoris. Lux enim non procedens ab alia luce, diffundens de ſe lumen ſine ſui detrimento,pater eſt in diuinis: qui non procedens ab alio,ſine ſuæ ſubſtantiæ diminutione, gignit de ſe filium, qui in ipſo manet ſemper. Sicut verò per lumen lux fundit ardorem vel calorem, ſic pater per filium ſpirat ſpiritum ſanctum: qui eſt amor & charitas, quæ ſolet per ardorem vel calo-

1.Cor.7.

Nota.

Proceßio perſonarum per analogiã declaratu.

rem similari. Et sicut si esset aliqua lux corporalis æterna, æternum lumen progigneret & per coæternum lumen, æternum similiter calorem: sic pater æternus, coæternum sibi gignit semper filium, & per filium suum coæternum spirat spiritum sanctum, æquè coæternum & consubstantialem. Hæc autem manuductio à corporalib⁹ sumpta est, sed non potest plenè illam æternam verbi & spiritus processionem explicare. Si hæc nimis ardua sunt, meditare quomodo Deus pater omnipotens qui est in æternitate cum filio & spiritu sancto per se beatus, sufficiens sibi, & nullius indigens: in tempore, quando voluit, creauit mundum & omnia quæ in eo sunt, tam cœlestia quàm terrestria: non propter suam vtilitatem, sed propter communicandam & effundendam immensitatem suæ bonitatis, vt nos participes essemus bonitatis eius. Nec enim Deus cœlum fecit, sicut homines domus fabricant ad aliquã necessitatem. Neque cãpos fecit, aut prata, vt ex eis prouentuum vtilitatem caperet, aut aliquam voluptatem, quemadmodum faciunt homines, qui propter fructum agros quærunt, & prata propter vtilitatem simul atque voluptatem. Neque aquam vt bibat, neque panem, oues, boues,

Deus omnia creauit propter suã bonitatẽ ad nostrã vtilitatẽ.

piſces, volatilia, vt ipſe eis veſcatur in cibū, propter infinitam ſuam bonitatem effundendam, omnia iſta creauit. Et quia in vno opere non potuit ſuam immenſam pulchritudinem demonſtrare, fecit plurima & diuerſa creaturarum genera: Quorum ſingulis ſuas naturales virtutes, operationes, & perfectiones, pro ſuo placito donauit. Sed ſuper omnia corporea hominem fecit, in quo poſuit imaginem ſuam: dando ei memoriam, intelligentiam, & voluntatem vel
Rho. 11. amorē. Vide quomodo pater omnia creauit, & omnia nunc gubernat per filiū ſuum in ſpiritu ſancto: Sicut dicit Apoſtolus. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & quàm inueſtigabiles vię eius. Ex ipſo patre, per ipſum filium, in ipſo ſpiritu ſancto ſunt omnia. Ipſi honor & gloria, in ſæcula ſeculorum, Amen.

CONCLVSIO TRACTATVs.

SIC igitur in eum reuer-
tentes vnde cœpimus,
quoniam ipſe principiũ *Apoc.1.*
eſt & finis omniũ, me-
ditationum harum finẽ
facimꝰ. Quas ſi quis mẽ
te tenuerit, & ex fide
planè intellexerit. Magis autem & affectui
impreſſas habuerit, vt ex eis affici ſciat in
amorẽ Dei, ęmulationẽq; virtutũ, & omnis
mali odiũ, habet ille iam Deũ domiuũ ſuũ
ſpe, & poſsidebit olim in re. Nõdũ enim ap
paruit quid futuri ſint illi, qui nunc iugiter
mẽte & corde, intelligentia & affectu, Deo
intẽdere ſtudẽt, cõtẽptis curis & rebꝰ ſęcu
laribus. Cùm autẽ apparuerit Chriſtus vi- *Collo.3.*
ta & ſponſus eorũ, cui hîc indiuidua amici-
tia adhæſerunt, tunc & ipſi apparebũt cum
eo in gloria. Et dicent in illa die, qui nunc
omnem ſollicitudinem & cogitationem im
penderũt ſæcularibus negociis. Ecce quos
reputabamus velut phantaſmatibus ple-
nos, quos velut deliros æſtimabamus ab-
ſurda ſpeculari, qui nobis pro ludo erant.

Sapien.6. In quos ſcommata iaciebamus. Quomodo computati ſunt inter electos & filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Nos illorum cogitationes, æſtimabamus phantaſmata: & ſolitudinem eorum ac taciturnitatem, moroſitatem & duriciem iudicauim⁹. In veritate enim illud prædicimus, quoniã remuneratio erit omnibus, qui hæc ſancta Chriſtianę fidei myſteria, fideliter nocte ac die ſtuduerint meditatione affectuoſa ruminare, magis quàm ſi quis vniuerſum cœlorum motum, omnemq́ue naturæ vim ac diſpoſitionem, iurium quoque rigorem, & medicinæ experientiam, imò & theologicas multas ſubtilitates perpetuo ſtudio cõprehenderit. Hæc eſt enim ſapientia vera & ſcientia ſalutis, quæ vitam præſtabit omnibus permanentibus in ea: Iuxta quod ad patrem, poſt cœnam nouiſsimam, filius ipſe loquebatur dicens. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit ac regnat, trinus & vn⁹, viuus & verus Deus per omnia ſemper ſæcula benedictus. Amen.

Nihil meditatione ſacramentorum fidei Chriſtianæ vtilius.

Ioan.17.

FINIS.

INDEX PRAECIPVA-
*rum materiarum, & ſingulo-
rum capitum huius ex-
cellentis opuſculi.*

A

C

FINIS.

Liber de

SACROSANCTA ET SVPERBENEdicta Trinitate. In quo Ecclesiasticum officium quod in illius solemnitate legit Romana Ecclesia, clare lucidéque explananatur: simul & quicquid de illa fide tenendum est, facili compendio succinctè exponitur. Per fratrem Franciscum Titelmannum Hasselensem, sacrarum scripturarum apud Louanienses Prælectorem.

PRAEFATIO IN TRACTATUM SEQUENTEM, de sancta & superbenedicta TRINITATE.

OFFICIVM *Ecclesiasticum, quod in solemnitate superbenedictæ Trinitatis vsus Romanæ decantat Ecclesiæ, tam verborum pondere quàm sententiarũ dignitate verè eximium, composuisse dicitur præclaræ ernditionis vir Ioannes Pechanus, natione Anglicus, ordinis Fratrum Minorum beati Francisci. Qui primum Romæ in sacro Palatio, Magistri & Doctoris munere, summa cum laude & gloria non modico tempore functus, deinde in Archiepiscopum Cantuariensem pro suæ doctrinæ eminentia, suarúmque virtutum claritate, meruit promoueri. De hoc autem viro, certa fide dignorum relationè, historiam quandam memorabilem didici, quam huic loco (ad eius viri, simúlque & operis huius commendationem) non immerito neque ociose arbitror inferendã. Cum enim Romæ in sacro Palacio Doctoris sacrorum publico munere fungeretur, priusquã in Episcopum fuisset promotus, nulla adhuc præterquam Theologici magisterij eminẽtia insignis, Cardinales, Episcopi, & aliorum graduum atque or-*

dinum complures in Ecclesiasticis dignitatibus eminentes, ob viri in rebus Theologicis praeclaram eruditionem, ad illum audiendum sacra docentem, magna diligentia quotidie confluebant, velut tanti luminis radio cupiẽtes illustrari. Cum ergo adueniente statuta praelectionibus hora, ille per medium scholae cathedram accederet magistralem, praeterijnti doctori qui resederant assurgentes, in pedes constiterunt, donec conscendisset ille cathedram, hunc nimirũ honorem deferentes Theologico lumini, quo ille fulgebat, & cuius hi participes fieri desyderabãt. Postea verò quàm Archiepiscopatus dignitate sublimatus est (indignum iudicante summo Pontifice tam gloriosae eruditionis virum Ecclesiae fastigijs non infulciri) solitúmque doctoris munus nihilominus administrare pergeret, ipso iã Archiepiscopo Cantuariensi in scholam ingresso, Cardinalium nemo solitum illi dignatus est assurrectionis impendere honorem, neque illorum quisquã loco moueri voluit. Hactenus (inquiunt huius rei causam reddentes) Theologici luminis maiestatem in humili vasculo cõtemplati, Theologo & Theologiã docenti dedimus honorem, qua sanè consyderatione nos illo multo inferiores, ipsum verò nobis superiorem agnouimus. Nunc verò dum in Episcopalem dignitatem intendimus, non est quur nos, ipsi vel maiori vel

certè æquali dignitate fulgentes, assurgamus Episcopo. Theologo (inquiunt) & Theologiæ professori, tametsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales non illibenter assurreximus, neque pudebat Theologico lumini, honoris impendere obsequia. Episcopo autem eiusmodi dare honorem, noster nos ordo non docuit. Monstrat nimirum hæc Cardinalium sententia, in viro isto Theologo simul & Episcopo, Theologici luminis claritatem quàm Episcopalis prælationis dignitatem præclarius effulsisse. Fertur autem hoc officium verè plusquam humanum, ac planè diuinum, in suæ fidei protestationem (cum ab æmulis falso aliquando delatus esset, atque hæreseos accusatus) composuisse. Romanóque Pontifici, ad sui expurgationem, & Innocentiæ testificationem, obtulisse. Quod ille & summo artificio mirabile, & sanæ catholicæque fidei rectitudine venerandum conspiciens, omnibus Ecclesiis decantandum, atque legendum tradidit. Verum quoniam ob nimiam tum verborum, tum sententiarum pro rerum magnitudine difficultatem, simplicioribus intellectu admodum videbatur difficile (qua de re nõ semel ego viros etiã plusquam mediocris ingenij, & eruditionis non infimæ, audiui querulantes) visum fuit mihi operæpreciũ, aliqua elucidatione rei difficultatem, si non auferre, certè minuere: vt saltem qui vellent

attentionem adhibere & operam, occasione data, capere possent, quæ absque præuio auxilio, vel omnino non, vel certè admodum difficulter videbantur intelligibilia. Superiori itaq; æstate, sanctißima hac festiuitate sese post Pentecostalia festa offerente, cũ adhuc in Psalmorũ enarratione sudarem, diebus aliquot hac prælectione seposita, officium prædictum, in Dei bono auxilio confisus, enarrare aggressus sum auditoribus, ac deinde quæ mihi Dominus dederat in vtilitatem præsentium ore loqui, eadem mox (vt est nostræ consuetudinis) in chartas curaui mittere, vt etiam absentes qui volent ex nostro labore fructum capere valerent. Poterunt autem qui volent, duplicem ex hoc opere fructum accipere. Primum enim laudes altißimæ summæque venerandæ trinitatis, quas Ecclesia in huius solemnitate canendas tradidit, intelligent: deinde, rectè fidei normam & quicquid de sanctißima Trinitate secundum catholicæ fidei regulã, sanctarúmque Synodorum & orthodoxorum patrum authoritatẽ sentiendum atque credendum est, facili compendio, & minimo negocio addiscent. Quisquis igitur benedictam super omnia sanctam Trinitatem voce pariter & mente digne laudare cupiens, nostra hæc qualiacunque legendo, vllum ex nostro labore sumpserit adminiculum, eandem ipsam omnium illuminatri-

cem omnísq; boni datricem, pro gratiarũ actione collaudet: nobis verò, pia oratione pro labore vicem rependat. Cui verò pro rei dignitate nõ videbimur satisfecisse negocio, meminerit ille quantæ sit difficultatis, quantíque negocij primum omnium in re laborare nõ multo sanè minus quàm difficillima, absque vllius præcedentis adminiculo: sicque veniam donans sanctis conatibus imperfectum nostrum potius supplere studeat, quàm pium laborem reprehendere. Siquidem in via difficili, non illi soli debetur gratia, qui viam totam lapidibus strauit, vt difficultatis omnino nihil sit reliquum: verumetiam qui vel lapide vno, aut ligno subiecto, transitum reddit faciliorem, & iter facit aliquanto commodius, In Deo bene vale, Lector philochriste: nostrósque labores, sanctis tuis ante Deum precibus, consolare.

EXPOSITIO OFFICII QVOD DE *superbenedicta Trinitate, in ipsius solemnitate, Romana cantat Ecclesia.*

INCIPIVNT ANTIPHONÆ Ad primas Vesperas.

SEdenti super solium, congratulans trishagium seraphici clamoris, cum patre laudat filium, indifferens principium reciproci amoris. τρισάγιον

ESAIAS propheta dominū se in visione cōspexisse testatur, super excelsum atque eleuatum solium residentem, Seraphim quoque stantes super illud audisse adinuicem clamantes: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. In quo laudis cantico (iuxta quod à vetustissimis probatissimisque Græcorum atque Lationū patribus animaduersum est atque annotatum) dum numero singulari sanctus replicatur, sacrosanctæ trinitatis honoratur sacramentū: vt primum patri, secundū filio, tertium de- *Esai.6.*

tur ſpirituiſancto: dum verò poſt ter replicatũ ſanctus, ſingulari deinde numero ſubiungitur, dominus deus exercituũ, non autem domini dii exercituum numero plurali, vnitatis ſubſtantialis quæ in tribus perſonis eſt myſteriũ, aperitur. Hanc verò seraphicam cantionem qua ter ſanctus perſonarum trinitati cecinerunt aſtantes deo ſeraphici ſpiritus, hoc in loco (nouæ rei nouo cõficto vocabulo) venerandus antiſtes qui hanc Dei laudẽ aptiſſimè pariter atq; doctiſſimè cõpoſuit, triſagiũ, ſiue potius triſhagiũ apte admodũ & appropriatè duxit nominandũ. Nomen eſt cõpoſitum, ex græco aduerbio & nomine, quaſi τρὶς ἅγιος tris hagios, quod eſt, ter ſanctus. Siquidem græcis τρὶς aduerbiũ numerale, ter ſignificat: ἅγιος hagios, ſanctus. Trishagium ergo, rectè canticum illud in quo τρὶς ἅγιος tris hagios, id eſt, ter ſanctus canitur, nũcupari poteſt. Hoc itaque trishagium, hoc canticũ, ter ſanctus trino Deo decantans, quod duo ſeraphim auditi ſunt clamare alter ad alterum, congratulans & acclamans Deo ſuper ſolium eleuatum ſedenti, laudat eodem laudis cantico ſimul cum patre filium: qui filius vna cum patre eſt principium vnum, à quo procedit amor, qui eſt ſpirituſſanctus. Quemadmodũ

Trishagiũ quid.

enim à patre procedit filius, qui est verbum: ita à patre & à filio, tanquam ab vno principio non tanquá à duobus principiis, procedit spiritussanctus, qui est amor. Sunt autem hæ duæ personæ pater & filius, principium indifferens spiritussancti: quia ab vtroque indifferenter & æqualiter procedit, tam à patre quàm filio. In quo græcorum doctorum erronea sententia destruitur, asserentium, spiritum procedere à patre, & à patre quidem per filium, verum à filio spiritum non procedere. Cuius sententiæ fuerunt, Cyrillus quoque & Ioannes Damascenus: qui ante factam Ecclesiæ determinationem, hanc sententiam scriptis firmarunt. Nos verò, post agnitam veritatem, patrem & filium indifferens principium fatemur spiritussancti, ab vtroque videlicet procedentis æqualiter & indifferenter, & à patre & à filio. Dicitur verò spiritussanct⁹ amor reciprocus, eo quòd mutuũ sit vinculum, quo & pater vnitur filio amátque filium, ac filius vicissim vnitur patri amátque patré. Prorsus enim idem est amor, quo pater de se genitum amat filium, eíque dulcissime colligatur, & fili⁹ gignenté amat patré eíque dulcissime item colligatur atq; counitur, summa vtiq; & ineffabili vnione.

Error græcorũ de spiritu∫∫. processione.

Sequamur per ſuſpiriũ, quod geritur per gaudiũ, in ſanctis cæli choris: leuemus cordis ſtudiũ, in trinum lucis radium ſplendoris, & amoris.

QVid eſt, quod per gaudiũ in cæleſtibus angelicíſque ordinibus geritur? Nimirum quod ait Apoſtolus facie ad faciem Deum contueri per ſpeciem, quomodo nos miſeri donec peregrinamur in corpore, per fidem tenuiter vtcunque cõtemplari poſſumus, videre non poſſumus: ſuperbenedictam quoque Trinitatem indefeſſis clamoribus in ſæcula ſæculorũ collaudare, in apparente gloria domini ſatiari, torrente voluptatis potari, & ab vbertate domus Dei inebriari: quæ omnia, diuinus Pſaltes nobis cõmemorat. Hęc verò tametſi à peregrinantibus nobis ſint nimiũ elongata, monemur tamen ad ea per deſyderium, atq; ex deſyderio ædita ſuſpiria, etiam abſentes contendere: vt (iuxta Apoſtolum) contemplemur, non quæ videntur temporaria, ſed quæ videri nequeunt, æterna. Quem verò admodum nos iſta cæleſtia ſectari aut poſſimus aut debeamus, ſubſequentibus edocemur verbis: nempe, ſi cordis noſtri ſtudium, hoc eſt, ſpiritus noſtri conatum ſedulum, à terrenarum rerum fecibus leuare ſtudeamus (Dei adiuuãte gratia) in ſuper-

1. Cor. 13. 2. Cor. 5. Pſal. 83. Ibid. 16. Ibid. 35. 1. Cor. 4.

benedictæ Trinitatis cognitionem, quę trinus est radius, nempe lux, splẽdor, & amor. Et quoniam supra sensum omnem & externum, & internum, est benedictæ Trinitatis cognitio, iccirco non corporis, aut sensus, sed cordis, id est, spiritus studium leuare nos oportet, in trinum illum radiũ. Nam huic, id est, spiritui humano (si Dei gratia adiuuetur) possibile est ad beatissimã Trinitatem tum cognoscendam, tum amandam, peruenire, per memoriam, intellectum, & voluntatem, quibus tribus potentiis supra corpus supereminet. Sed hic mirum forsitan cuiquam videbitur, quo nam modo diuinitas possit nuncupari radius: cum istud vocabulum videatur filii personæ peculiariter cõuenire. Non enim ipsa diuinitas ab alio procedit, quod radius facit. Aduertendum proinde est, radium hoc loco proprijssime non accipi, pro eo quod ab alio procedit, cum in ea acceptione minime conneniat diuinitati aut toti Trinitati, sed tantum personæ filii, qui quasi radius & splẽdor à luce patre creditur procedere: sed radiũ pro luce vel lumine radiante, radiósq; suos in fideliũ cordibus effundente, sicq; ea penetrãte, accipi oportet, Duo nãque sunt, quæ in radio cõsyderamus: quia nimirum à

Quomodo diuinitas radius nominatur.

ſubſtantia altera procedit quæ illum de ſe ſpargit, & illud ſuper quod emiſſus cadit, penetrat, perluſtrat, lucidúmq; aut illuminatum facit. Primùm illud à conſyderatione ſecludi neceſſe eſt, cum ipſam diuinitatis ſubſtantiam radium nominamus. Quemadmodum cum patrem lumen vocamus, dicétes filium à patre velut lumen à lumine procedere, ſecludi oportet à ſignificatione luminis rationem proceſſionis ab alia luce, quam ſecundum proprietatem habet ſuæ conditioni: cum lumen ſit ſpecies lucis. Attamen cum peculiariter filio luminis appellationem attribuimus, etiam hác quæ prius excludebatur proceſſionem, includimus. Cæterum, in luce, ſplendore, & amore, ex prædictis eſt manifeſtum beatæ trinitatis manifeſtari cognitioné. Pater enim lux eſt, de qua ſplendor coæternus gignitur filius: ex quo rurſum, æquè atque ex patre, procedit item coæternus ardor, calor, & amor, qui eſt ſpiriuſſanctus.

Si noſſe vis hæc germina, non ſemina ſed lumina conſyderet indago: lux deus eſt intermina, de qua res manat gemina, tam amor quàm imago

LOngè diuerſiſſima eſt procedendi ratio luminis, à productione eorum quæ

naſcuntur ex ſeminibus. Semper enim quæ
ex ſemine producuntur, multo poſt ſemen
illud è quo producũtur exoriri, neceſſe eſt.
Niſi enim mortuum fuerit ſemẽ in terram. *Ioan.12.*
cadens, fructum non proferet: & ad huiuſ- *1. Cor.15.*
modi mortificationem & diuturnam natu-
ræ actionem, tẽporis prolixitas, iuxta pro-
ducendorum qualitatem, exigitur. Deinde,
certis temporibus incrementa capiũt, neq;
ſeminali proceſſione progignuntur: neque
eorum quicquam ab initio exoritur perfe-
ctum. Lumen verò ſemper cum luce eſt, ne-
que lux eſt aliquando quã non ſtatim ſuum
comitatur progenitum lumen, neque tem-
poris profectu creſcit: ſed mox vt lux dif-
fundit ſuum lumen, iuſta perfectione dif-
fundit, iuxta ſuam virtutem. Atque ob hoc,
volenti aliqua ex parte (quãtum id fieri po-
teſt) ex creaturis per analogiam cognoſce-
re eam quæ eſt in diuinis proceſſionem, nõ
eſt conſyderanda genitura eorum quæ de
ſemine exeunt, ſed proceſſio illa potius, quã
lumẽ de luce procedit: déq; luce & lumine,
coæuus ardor. Illa ſiquidem ex ſemine pro-
ductio, materialis & craſſa eſt nimium, lon-
géq; diſſimillima diuinæ generationi aut
ſpirationi. Hæc autem, ſpiritualis eſt magis,
& vicinior ad proceſſiones diuinas, adque

eas(quantum res patitur)aliquando intelligendas,accõmodatior.Est itaq; hæc,propositæ antiphonæ intelligentia. Quisquis cognoscere aut intelligere velit, per analogiam ex creaturis, duo hæc germina, id est,duas personas procedentes, nempe filium & spiritumsanctum, velitq; aliqua ex parte capere,quemadmodum intelligi possit ac debeat earum processio, vertat eiusmodi necesse est mentis suæ indaginem & inquisitionem,ad considerandum luminis naturam, eiusq; processionem,quemadmodũ videlicet à luce sine mora tẽporis procedat,atq; ab vtroq; calor : non autem ad ea quæ progignuntur ex semine. Nam ex illo quidem,vtcunq; per analogiam proficietur ad capiẽda cœlestia:ex his vero,nequaquam,cum in his lõge alius sit modus. Lux Deus est intermina,de qua res manat gemina,tam amor quàm imago. Deus pater ex lux infinita,lux immensa,lux fœcundissima :de cuius substantia,procedũt personæ duæ,que sunt vna quidem res, propter essentiæ vnitatem,gemina tamẽ, propter personalem distinctionẽ:quemadmodũ pater,filius,& spiritussanctus,sunt quidem vna res,sed trina. Hæ autem duæ personæ siue res gemina sunt,imago,& amor,

Filius & spũs sanctus. res gemina.

id eſt, fili⁹ & ſpirituſſanctus. Eſt enim filius imago patris, & ſpirituſſanctus amor eſt vtriuſq;, Notãdum verò, quoties ob ſermonis inopiam contingit in diuinis, eiuſmodi nos vti vocabulis, quæ aliquam videntur craſſitiem corporalem ſecũ trahere (quemadmodum nunc filium & ſpiritum ſanctum vocamus gemina, eosq́ue manare dicimus a patre, quorum vtrumq́; ad corporalia videtur pertinere) tum ſecludi oportet per intelligentis acceptionem, id quod craſſum eſt & imperfectioné adducit, nihilq; in Deo craſſum aut corporale debem⁹ intelligere. Neceſsitas vero quædam eſt inopiæ noſtrę & ignorãtiæ atq; imperitiæ, quòd ita velut balbutientes, cum de Deo loquimur, talibus vtamur vocabulis, quæ iuxta vulgatum vſum aliquid ſolent craſsitiei & imperfectionis in ſua ſignificatione adducere. Verùm (vt diximus) hæc cum ad Deum referimus, ſeparari oportet intelligentia, quod craſſum eſt, & iuxta quod Diuinæ puritati conuenit, accipere,

Lux non deciſa, radium diffundens, per hunc medium, multiplitat ardorem: ſic pater gignit filium, cum ipſo ſpirans tertium concorditer amorem.

QVæ in præcedenti antiphona leuius tangebatur, latius nunc apertiusque proponitur aualogia, lucis, luminis, & ardoris. Quemadmodum enim lux quæ aliunde non deriuatur neque diffunditur, sed est in ipsa lucidæ aut lucentis rei substãtia (veluti exempli gratia, lux quæ est in sole) radium splendoris de se diffundit, atq; per hunc velut intermedium, consequenti ordine progignit etiam ardorem siue calorem: ita Deus pater, qui est lux prima, imméſa, & fœcundissima, à nulla priore luce decisa, deriuata, progenita, aut procedens, per suam fœcũdissimam fœcunditatem gignit sibi coæternũ radiũ siue splẽdorem, qui est eius filius: idémq; pater, cum genito filio, æqualiter atque iudifferenter spirant tertiam de sua substantia personam, quæ est amor & spiritussanctus. Et quemadmodum lux per radium, velut medium, producit calorem: ita non malè dici potest pater, per filium spirare spiritum sanctum. Quod enim spiritum sanctum filius spiret, à patre habet: à quo etiam hoc ipsum habet quod est, & quod Deus est, & quod suo patri coæqualis & coæternus est. Non sic tamen per filium pater dicitur spirare spiritũ sanctum, quin sana fidei confessione etiam

Analogia lucis, lumlnis, & ardoris, applicatur Trinitati.

admitti

admitti debeat, filium ſpirare ſpiritum ſanctum, & quod à filio procedat ſpiritus ſanctus: quemadmodum neque hoc ſolum dicimus de calore, quod à luce procedat per lumen, ſed etiam quod à lumine procedat.

Aeterno patri gloria, ex quo ſubſiſtunt omnia, per verbum, in amore: cuius ſignauit gratia, noſtra ſuæ præcordia imaginis honore.

EXclamat quodam loco beatus Apoſtolus, dicens: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incóprehenſibilia ſunt iudicia eius, & quàm inueſtigabiles viȩ eius. Quis prior dedit, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen. In qua ſententia, dum diſtincte diuerſis tribus præpoſitionibus diuerſam ſignificationé habentibus vtitur, dicendo: Ex ipſo per ipſum, & in ipſo, trinitatis myſteriũ (iuxta probatiſſimorũ patrum authoritatem) inſinuat: quoniá ex patre, tanquam primo & inexhauſto rerum omnium principio, ſunt omnia, & ex eius potentia proceſſerunt vniuerſa. Per filiũ item, vt patris ſapientiam & virtutem, facta ſunt omnia: & in ſpirituſancto, qui eſt amor & bonitas, continentur, perficiuntur, conſer- *Rom.11.*

uantur, diſponuntúrque vniuerſa. Sit ergo gloria vna & æqualis tribus perſonis, nempe Deo patri, ex quo procedunt in ſuis naturis ſubſiſtentia omnia, per filium, in ſpiritu ſancto: cuius gratia, ſignauit atque ornauit noſtra intima, honore ſuæ imaginis, quã inculpſit in nobis. Quæ nouiſſima particula, duplicem recipit intelligentiam, iuxta quod dupliciter poſſumus Dei in nobis imaginem conſyderare. Nam primum in omnibus omnino hominibus quantumuis peſſimis, eſt inuenire Dei imaginem, ſecundum potentias illas quibus anima rationalis ſuper corporalia ſupereminet, memoriam dico, intellectum, & voluntatem: quæ tres potentiæ, nulli deſunt rationali aut intellectuali creaturæ. Atque hac conſyderatione verum eſt, Deum gratia ſua ſignaſſe & decoraſſe noſtrum ſpiritum, honoræ ſuæ imaginis. Nam quod ſic Deus hominem ſubli-

Dupliciter attenditur imago Dei, in homine.

miter creauit ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam, peculiaris eſt gratiæ eius, quemadmodum & hoc ipſum quod nos creauit & fecit, paſcítq; & ſuſtentat, & quicquid denique aliud facit, gratia eſt. Specialis autem in iuſtis conſyderatur Dei imago, ſecundũ ſpiritusſancti gratiã in eorum cordibus diffuſam. Quemadmodum enim peccatorum

ſordes animam maculant ac fœdant, ita vt ab initio creatam in nobis Dei imaginem obfuſcent, obuoluant, ac veluti deleant, vt videri non poſſit, ſic ex aduerſo ſpiritusſancti gratia, cũ in corda noſtra mittitur, quicquid eſt ſordidum expurgans, conſpurcatam animam lauat, fœdatámque imaginem & velut deletam renouat, atque exornat, vnde Apóſtolus renouari nos monet ſpiritu mentis noſtræ, & in nouitate ſenſus reformari, vt probemus quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Atque hac conſyderatione patentiſſimũ eſt, Deum ſignare noſtra præcordia (id eſt, intima noſtra, nempe rationalem animã & vires eius) honore ſuæ imaginis per ſpiritumſanctum, qui datus eſt nobis, & per charitatem quam in cordibus noſtris ille diffundit. *Ephes.4.* *Rom.12.* *Rom.5.*

ANTIPH. AD MAGNIFIC.

O ſeraphin iucunditas, ô cherubin limpiditas, thronorum robur, trinitas, fac digne te laudemus: memoriæ ſit vnitas, notitiæque veritas, te vtriuſque bonitas perenniter amemus.

SEraphin ab ardore dictos, beatiſſimos illos cæleſtes ſpiritus, qui apud Deum primi ſunt & ordinis ſupremi, conſtat: eo quod in amore præcellant, quemadmodum

Cherubin à ſcientiæ & clarioris limpidioríſque cognitionis præcellentia, ſunt appellati. In thronis verò Dei maieſtas & gloria reſidet, ſuntque velut ſedes Dei. Vnicuique ergo ordini quod ſuum eſt appropriando, dicimus, beatiſſimam trinitatem ſeraphicorum ſupremorum ſpirituum eſſe iucunditatem, quod ipſa ſit in quam illi ſummo ſic ardore atque amore feruntur, & in qua ſumma iucunditate tanto præ cæteris iucundantur atque deliciantur quanto præ omnibus flagrantiſſimo & nihilominus ſuauiſſimo ardent amore. Eandem quoq; benedictã trinitatem, Cherubici ordinis vocamus limpiditatem: quia nimirũ ipſa eſt, quæ illos tam limpidiſſima & clariſſima ſupra cęteros donat & illuminat ſui cognitione, & ipſa eſt limpidiſſima illa lux, quę ſic clariſſime & familiariſſime ſeipſam illis præbet glorioſis ſpiritibus contuendam. Thronorum verò robur eſt, quoniam ſedem roboratam eſſe oportet & firmatam. Ipſa eſt enim beatiſſima trinitas, quæ eos in quibus reſidet robore ſempiterno confirmat vt apta ſit & firma ſedes eius, neque cadant in perpetuum. Tu itaq; ô beatiſſima trinitas, quæ eſt ſeraphicorum ſpirituum iucunditas, cherubicorum limpiditas, robur ac firmitas thronorũ,

& omnibus omnia, tu hoc in nobis tua gratia effice, vt laudes dignas & placitas tibi valeamus offerre, ſicque dignere laudare, non vtique quantum laudabilis tu es (eſt nanque id etiam ſupremis ſpirituum agminibus prorſus impoſſibile) ſed ita vt grata tibi fiat, accepta & placita noſtra laudatio. Eſt o noſtrę memoriæ vnitas, ita vt terrenarum rerum varietatibus ac vanitatibus eiectis, in te recollecta, tibi ſemper hæreat vnita: eſto ad hæc notitiæ noſtræ veritas, vt te verè (ſicuti oportet, & quantum hoc in ſtatu licet) cognoſcamus, tuique cognitionem rectam, per fidem, poſſideamus. Tu quoque, ô bonitas vtriuſque, ſancte ſpiritus ab vtroq; (nempe à patre & filio) procedés, hoc in nobis effice, vt te ſemper cum patre & filio amemus. tuum eſt enim, per charitatis donum, frigida hominum corda ſuccendere, atque in Dei amorem inflammare.

SEQVVNTVR ANTIPHONAE NOCTVRNALES.

Cælum terrámque digitis qui tribus appendiſti, præpoſuiſti conditis humanitatem Chriſti.

ADuertendũ eſt, antiphonas iſtas tam nocturnorum quàm laudum, pſalmis vt plurimum quibus præcinuntur reſpon-

dere quemadmodum, exempli gratia, hæc prima respődet psalmo octauo cui præcininitur, cuius initium, Domine dominus noster, in quo de rerum creatione agitur, & Christi domini per resurrectioné super omnia exaltatione. Vide plerũque sensus antiphonarum istarũ, ex psalmis quibus respondent, non male quæri potest. Propositæ verò antiphonæ, hæc est sententia. Tu Deus pater, qui cælum & terram creasti, & suis in locis firmiter collocasti tribus digitis (nempe potentia tua, sapientia, & bonitate, quibus ceu tribus digitis creauit omnia potentia omnipotentis) tu, inquam, ipse præposuisti creaturis omnibus, quæ in cælo sunt & in terra Christum hominem, passione consummata & morte deuicta, per te mirifice resuscitatum. Iuxta illud quod de se filius ipse testatur. Data est mihi omnis potestas, in cælo & in terra, & quod Apostolus ait, omnia subiecta esse sub pedibus eius.

Mat. vlt. *1. Cor. 25.*

De Deo Deus prodiens, se fecit viatorem: scanditque cursum finiens, distribuens calorem.

ANtiphona ista respondet Psalmo decimo octauo, cuius initiũ, Cæli enarrant gloriam Dei. In quo De Christi à patre egressu, ingressuque in mundum, & re-

greſſu ad patrem, fit mentio. Iuxta hanc igitur ſententiam dicitur, quod Deus filius de ſinu patris ſui, in quo ab æterno latebat, in temporis plenitudine, prodiens in publicum, & à patre eius per aſſumptam humanitatem, ſe fecit noſtri ſimilem viatorem, id eſt, viam huius vitæ huiuſque temporis curſum peragenté. Verùm curſu huius mortalitatis finito, rurſum ad patré, vnde exierat, reuerſus eſt, aſcendens in ſinum è quo prodierat, mittens poſt ſuam aſcenſionem *Actu.1.* fidelibus ſpiritumſanctum, qui eſt calor & *1. Cor.12.* fomentum animarum, vnicuique prout voluit de illius donis diſtribuens.

Leuentur cordis oſtia, memoria gignenti, nato intelligentia, voluntas procedenti.

IN Pſalmo viceſimotertio hanc antiphonam ſubſequente, cuius initium: Domini eſt terra & plenitudo eius, monentur principes attollere portas, ad ingreſſum regis gloriæ. Concorditer & hac ſententia monemur, cordis noſtri oſtia leuare, attollere, & quodam modo aperire, trino domino. Oſtium auté in corporalibus illud dicitur, per quod fit egreſſus & ingreſſus. Vnde in homine per metaphorá oſtia rectè nominantur, vires illæ quibus homo ſeipſum, necnon

& mundum vniuersum egreditur, leuans se supra se, & supra omnia quæ creata sunt, scanditque in cælestia, & quæ supra corpus existunt. Sunt autem in homine tres eiusmodi vires, per quas seipsum homo & cuncta tēporaria egreditur, & in æterna introgreditur, nempe memoria, intellectus, & voluntas. Memoria quidem, cum cælestia nobis & æterna meditanda, atque amanda proponit. Intelligentia siue intellectus, dum eis per contemplationem infigitur. Voluntas verò, dum eisdem per amorem & desyderium iugi affectione inhæret. Et quia per analogiam quandam memoria patri respondet, patrémque representat, intelligentia filio, voluntas procedenti, id est, spirituisancto: idcirco sic distincte monemur memoriæ ostium offerre patri, intelligentiæ filio, & voluntatem spirituisancto.

Tria ostia habet anima ad cælum.

Excelso regi gloriæ, psallamus sapienter: concordet vox memoriæ, notitiæ, gaudenter.

PRophetica exhortatione ex Psalmo proposita, monemur, Deo nostro psallere sapienter: id est, non irrationabilium more, quemadmodum faciunt qui neque intelligunt ea, quæ laudando loquuntur, neque affectum vllum habent in iis quæ proferant

Quid psallere sapienter.

voce laudantes, ſed rationabiliter: intellectu nimirum atque voluntate, ipſi voci reſpondentibus. Et velut explicando quid ſit ſapienter pſallere, ſtatim ſubiungitur: Concordet vox memoriæ, notitiæ, gaudenter. Vere enim ſapiétér pſallimus, cum id quod voce canimus, per memoriam ruminamus, per intellectum contemplamur, & per bonum volũtatis affectũ illi inhærere & in illo oblectari conamur. Quemadmodum econtrario inſipienter ille pſallit, qui dum voce Dei laudes canit, longe aliud verſat in memoria, contemplatur intelligentia, & amplectitur affectu. Talibus enim, illud competit Prophetæ: Populus hic labiis me honorat, cor auté eorum longe eſt à me. Nos verò excelſo regi pſallentes, ſicut voce quę Dei ſunt proferimus, ita memoriam in eis quæ Dei ſunt contineamus, vt non ipſa nobis terrena ſuggerat, dum vox cæleſtia clamat: intellectus notitia, in eiſdem defixa, non declinet in ea quæ Dei non ſunt: voluntas quoque ſanctæ deuotionis pia affectione in illis ſibi gaudium conſtituat, quæ memotia ruminat, & contemplatur intelligentia. *Eſa.29.* *Matt.15.*

O paucis quondam Trinitas Sion nota colonis, quã laudat grãdis ciuitas, ad fines aquilonis.

COloni Sion, carnales intelligũtur Iudæi terræ promissionis inhabitatores, quibus olim penè solis notus erat Deus, iuxta illud Psalmi: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnũ nomen eius: quanquã & hoc ipsum, quo ad beatæ Trinitatis mysterium, obscure admodũ & imperfecte, neque nisi sub inuolucro. At verò in tẽpore isto quando per Christum veritas nobis manifestata est, eam aperta cõfessione caullaudãt & magnificant, vniuersi gentiũ populi, Apostolica prædicatione edocti: ex quibus ciuitas dei, Ecclesia sancta, cõponitur: quæ ciuitas grandis dicitur, comparatione veteris illius synagogæ, in cuius ædificio soli locabantur incolæ Iudææ, cum in nouæ Ecclesiæ structuram coaptati sunt ex omnibus finibus orbis terrarum innumeri gentium populi, neque ipsi etiam exclusi sint qui conuerti volunt, Iudæi. Dicitur autem ciuitas hæc ad fines sita aquilonis, quoniã ex infidelibus & gentilibus potissimum ædificata fuit, qui in scripturis sub aquilone solent signari: eo quod sit pars aquilonaris frigida & tenebrosa, vtpote à solis lumine maxime elõgata & aliena. Vnde etiam per aquilonis principem scriptura diabolum designat, qui infideliũ corda possidens, in suo frigore do-

Psal.75.

Princeps aquilonis diabolus.

minabatur eiſdem. Ad fines ergo Aquilonis ſita eſt hæc ciuitas, quia ex finibus & nouiſsimis gétiũ noua Eccleſia ædificata fuit.

Deſcendit Dei filius, ad pauperis honorem: manauit Dei fluuius, amoris rigans florem.

PSalmus, Deus iudicium tuum regi da, cui hæc aptatur antiphona de generis humani per Chriſtum liberatione, & exaltatione loquitur, deque ſpiritu ſancto Chriſti conceptionem operante, ac eundé conceptum non ad menſurá implente, quæ omnia propoſitæ antiphonæ rectè conueniunt. Siquidem de ſolio maieſtatis ſuę Dei filius deſcendit, ſeipſum humilians vſq; ad miſeriam infirmitatis humanę, ad honorem hominis perditi, qui ante eius aduentum pauper erat, miſerandus ac miſerabilis, ſub duriſsimi crudeliſsimiq; exactoris iugo malè ſeruiens, id eſt, ad generis humani ſaluationem, exaltationem atq; glorificationem. Siquidé ad hoc nouim' de cœlo deſcédiſſe in terras Chriſtũ dominũ, vt nos ſeruulos de terris ſubueheret in cœlos, daretq; nobis poteſtaté filios Dei fieri, credétib' in nomine ei'. Vt ergo pauperé exaltaret ad tam magnificum honoré, ipſe deſcédere voluit. Verũ qđ ſequitur: Manauit cœli fluuius a- *Ioan. I.*

moris rigans floré maiorem videtur habere difficultaté intelligétię, quod videatur obscurum, nec satis patens, quis iste sit fluuius cœli, siue (vt in quibusdá codicib⁹ legitur) dei: quis flos iste amoris, & quid sibi velit hæc floris irrigatio. Puto aút (salua aliorũ sététia, qui meliora aut certiora attulerint) floré istũ hoc loco intelligédũ, qué scribit

Esa.11. Esaias, ex virga radicis Iessæ egressurũ atq; ascésurũ: floré vtiq; illũ speciosissimum, & longè amabilissimũ, cuius odoris fragrãtia per vniuersum mundũ sparsa, cæcos illuminat, claudos corroborat, surdis auditũ donat, vitæ quoq; mortuos restituit. Qui idcirco flos amoris rectè dicitur, quoniá sola est dilectio, solus est amor quo genus humanum adamauit pater omnipotens, qui hunc nobis floré destinauit in saluté: iuxta illud

Ioan.3. saluatoris de patre testantis, quoniam sic ipse dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipso nó pereat, sed habeat vitam æternam. Húc autem suauissimi amoris fragrantissimum florem, cœli siue dei fluuius, manando rigauit,

Ioan.3. quando Christo homini spiritussanctus se-

Ibidem.1 cundum totam suam charismatum plenitudinem sese infudit, eumque non ad mensu-

Collo.1. ram impleuit: ita vt quasi vnigenit⁹ plenus

inueniretur gratia & veritate, inhabitaretque in ipſo totiꝰ plenitudo diuinitatis corporaliter, vt de eius plenitudine nos omnes neceſſum foret accipere. Quam floris rigationem Eſaias quoq; cõſequenter deſcripſit, cùm de flore radicis Ieſſæ ſubiungit: Et requieſcet ſuper eum ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum ſpiritu timoris domini.

A cœli ac terræ termino, laus iudici vẽturo: leuentur trino domino, vox, manus, corde puro.

CHriſto ad iudicium ſuo tempore venturo, laus detur à finibus cœli ac terrę: id eſt, ab omnibus quæ ſunt inter ampliſſima cœli terræq; ſpacia. In obſequium autem & laudem ſummi dei, qui eſt perſonaliter trinus, ſimul concurrant vox & operatio bona, cum puro corde. Nam his modis, rectè ſancta laudatur trinitas. Cæterũ, vox ſola vbi non reſpõdet bonæ operationis cõuerſatio, aut vox cum operatione ſecundum externam apparentiam bona, vbi cor purum rectumque defuerit, ſanctæ trinitatis non ſunt digna laudatione.

Supernæ lucis radius, in nube fulgurauit: & ignis regi præuius, contraria purgauit.

RAdius ſupnę lucis in nube fulgurauit, quádo ſplédor paternę glorię, verbũ patri coęternum, intra craſsitiem carnis ſeſe abſcõdit, quãdo videlicet verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Igné verò iſtũ re-
Ioan.1. gi pręuiũ qui purgauit cõtraria (ſi tu q̃ hæc legis, meliora nõ habes) ad Chriſti p̃curſoré ptinere exiſtimo. De eo ſiquidé legim⁹,
Lucæ 1. quod ante Chriſtũ p̃miſſus fuerit, in ſpiritu & virtute Heliæ, in ſpiritu indubiè feruoris ignei & zeli feruétis: quodq́; p̃miſſus fuerit
Ibidem. ad viam præparádá véturo domino, cõuertere corda patrum in filios, prædicare pœnitentiam in remiſsionem peccatorum, baptizare in eum qui poſt ſe vétur⁹ eſſet, denique parare domino plebem perfectam.
Act.19. *Cor cãtet vox & opera, cõcordet pſalmo lyra: nam brachio cũ dextera, rex cœli fecit mira.*

QVemadmodũ ſuprà dixim⁹, qui Deo perfectá velit laudé dicere, illi cura eſt habenda, vt primũ corde ſit puro & mundo, in quo maximè & potiſsimùm laudatur Deus: deinde, vt etiam ore confiteatur ad ſalutem, quod corde credit
Rom.10. ad iuſtitiá: poſtremò, vt hoc ipſum oſtédat in opere, quod in corde ſerũat, & ſonat in ore Cõcordare aũt pſalmo lyrá, dupliciter accipi poteſt: vel cógruis adhibitis inſtru-

mẽtis muſicis, qđ ore canimus, ad pleniorẽ in illis quoq; decãtare: quomodo frequen ter Dauid nos monet in pſalterio, in cythara, & in cymbalis collaudare dñm. Vel (ſecũdũ myſticã intelligẽtiã) cõcordare pſalmo lyrã intelligitur, operationẽ cõſonare atq; reſpõdere voci: vt videlicet nõ ſolũ moueatur lingua ad laudãdũ, ſed manus etiã applicẽtur ad rectã operationẽ. Ratio aũt cur tãto ſtudio laudãdus ſit Deus proponitur, cũ dicit, Deũ mirãda feciſſe (tam in creatiõe rerum omnium quàm gubernatiõe & ſuſtẽtatiõe maximè autẽ in generis humani reparatiõe) per brachiũ ſuũ, cũ dextera. Quod, ſi volumus, ad trinitatem cõgruè poſſumus referre, vt Deum patrẽ per brachium ſuum, id eſt, filium cum dextera, id eſt, in ſpiritu ſancto feciſſe intelligamus hæc mirãda. Nam de filio quidem, quòd per brachiũ intelligatur in ſcripturis, per ſe eſt manifeſtũ. Spiritum verò ſanctum, tametſi non ſit frequens in ſcriptura ſacra nominari dexteram (quæ ipſa, quẽadmodum & brachium, magis filio ſolet attribui) poſſumus tamen, attenta rerũ proprietate, non incõmodè ad dexterã etiã ipſum nũcupare. Dextera ſiquidẽ eſt, qua porrigitur quicquid donatur. Vnde cũ ſpiritus ſanctus ſit bonitas, dulcor, & amor, quo nobis

donantur ac velut porrigũtur à patre & filio omnia, nõ ineptè eũ dexterã patris atq; filii possum⁹ appellare: quẽadmodũ & particulare quodlibet spirit⁹ donũ, dexterę digitus videtur cõgruè posse nuncupari. Qui tamen p dexterã noluit spiritũ intelligere, is pro eodem accipiat brachium atque dexteram, necesse est.

SEQVVNTVR ANTIPHONAE LAVDVM.

Quàm clara testimonia, nimisque credibilia præcelsæ Trinitatis, oracula, miracula, imagines, & specula quæ lucent in creatis.

SAnctæ trinitatis mysterium, tametsi ante Christi aduẽtum nõ ita manifestè fuerit mortalib⁹ cognitũ, neq; ita apertè explicatum, neq; ita latè publicatũ, quẽadmodùm post Christi aduẽtũ ac pdicationẽ Apostolorũ fuit, ab initio tamẽ, & ante legẽ & sub lege, variis signis atq; indiciis demõstratũ fuisse cognoscim⁹: quẽadmodũ patet in ipso initio creatiõis humanę, dicẽte Deo: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã: & in trib⁹ viris Abrahæ apparẽtib⁹, quos tres vidẽs, vt vnũ adorauit, & in Danielis visione, qua de facie antiqui dierum, igneũ rapidũque fluuiũ vidit pcedere. Sed & variis Prophetarũ oraculis, & scriptis sanctorum

Gene.1. *Gene.18.* *Dan.7.*

ctorũ patrũ, hoc ipſum ſanctę trinitatis myſteriũ, licet occultius, fuit cõfirmatũ. In omnibus quoq; naturæ intellectiuæ creaturis, velut in imagine, cõſpici valet noticia trinitatis. Et in vniuerſum omnis creatura, veluti veſtigiũ quoddã habet diuinæ ſimilitudinis, quo beatiſsimã & ſummã creatricẽ trinitatẽ, in ſe modo quodã (licet imperfectè admodũ) repręſentat, Atq; hoc eſt teſtimoniũ quadruplex, clarũ admodũ & apertũ, nimiũq; credibile, id eſt, qđ merito ſufficiat ad faciẽdã fidẽ, de altiſsima & ſuperbenedicta trinitate, nẽpe patrũ & prophetarũ oracula, quę ſpiritu illuminati ſancti homines ſũt eloquuti: miracula quæ in hui⁹ myſterii indicium Deus mõſtrauit: imagines quæ ſunt in intellectuali natura: & veſtigialis ſimilitudo, in creaturis cæteris, in quib⁹ veluti in ſpeculo imperfectè trinitas repræſentatur.

Cum laudibus & iubilis, colatur increabilis patronus populorum: quo generata veritas, donatáque ſuauitas, ſunt paſcua cœlorum.

DEus pater omnipotens, patronus eſt populorum quos condidit, quos ſuſtentat, quos paſcit, quos poſsidet, quos tuetur, defendit, & glorificat credentes in eum. De hoc autem patre quę ęterna generatiõe procedit veritas, & quæ dona- *Veritas & bonitas, paſcua cœlorum.*

tur, id est, per voluntatis modum ſpiratur ſuauitas ac bonitas, id eſt, verbum & ſpiritus ſanctus, ſunt paſcua cœlorum. In huius enim ſummæ veritatis contemplatione, cõtritione, & chara apertaq; viſione, & ſummæ bonitatis tentione, poſſeſsione, inhæſione, & fruitione, ſatietas erit & ebrietas beatiſsimis ſpiritibus, cœli incolis. Inde enim paſcentur, inde ſatiabuntur, inde inebriabuntur, inde impinguabuntur & dilatabuntur in ſæcula ſæculorum.

In te fonte vitæ ſitiunt, te trinum panẽ cupiũt in inuio vexati: dum benedici ſupplicant, ter nomen Dei *replicant, intenti trinitati.*

O Fons inexhauſt⁹ & origo prima (à quo vita omnis & corporis & ſpiritus procedit) ſuperbeata trinitas, te deſyderant, ad te anhelant, in te concupiſcunt viatores miſeri, in deſerto iſto & loco horroris multiplicibus myſeriis (partim quidem à carne propria, domeſtico hoſte, partim à mundi hominibus, partim à dęmonibus irreconciliabilibus & infatigabilibus hoſtib⁹) miſerè multimodis diuexati, in te quærentes refici ac refocillari, paululumq; requieſcere à laboribus, teq; cupiunt, qui es panis angelorum & hominum, panis vtique perſonaliter trinus. Quod autem ſequitur, dum benedi-

ci ſupplicant, ter nomen Dei replicant intenti trinitati. Pſalmum reſpicit ſexageſimū ſextum, cui hæc aptatur particula, cuius finis tali clauditur ſupplicatione. Benedicat nos Deus, De⁹ noſter, benedicat nos De⁹, Vbi benedictionem poſtulátes, ter nomen Dei inuocamus, ad trinitatis exprimendam memoriá, quéadmodū in eo quod ſubditur Et metuant eum omnes fines terræ, vnitas eſſentialis exprimitur, hui⁹ igitur poſtremæ partis ſententia eſt. Chriſticolas dum iuxta Pſalmi propoſiti formam benedictionem ſuppliciter depoſcunt, Trinitatem reſpiciétes, adque ipſam ſupplicationem dirigentes, tertio Dei nomen in ſuæ fidei proteſtationem, replicare. *Nota trinitatis myſteriū.*

Tres in fornacis medio, cum quarto quaſi filio cœleſtis genituræ, trino rerum principio pſallerunt, in veſtigio totius creaturæ.

NOtum eſt ex Danielis hiſtoria, canticum illud cuius initiū: Benedicite omnia opa dñi domino, à trib⁹ pueris Dei cultorib⁹, Anania, Azaria, Mizaele, iuſſu regis Nabuchodonoſor in fornacé cádétis ignis (eo quòd erectá ſtatuá adorare noluiſſent) coniectis, in ipſius fornacis medio cópoſitum atq; decantatum fuiſſe, ignis ardore in roris refrigerium diuinitus illis conuerſo, *Dan.3.*

& cum eis quarto (qui erat quasi fili⁹ Dei) apparẽte, in solatiũ atq; liberationẽ eorũ, qui ꝓ domino fideliter egerant. Canticum verò istud, ab angelicis spiritibus & cœlestibus corporibus initiũ sumens, deinde per creata omnia, & quæ in cœlo sunt & quę in terra pertransiens, omnino nihil relinquit, quod non in Dei creatoris laudẽ exhortetur. Sentẽtia itaq; ꝓpositæ antiphonæ vult, tres pueros in medio fornacis cãdẽtis, velut in medio roris, simul apparẽte cum illis quarto quasi filio dei, cecinisse deo psalmũ, & collaudasse creatorẽ omniũ rerũ ꝑsonaliter trinũ, ex omni creatura, secũdũ eã quã in se vnaquæq; habet vestigialem quãdam cum beatissima trinitate similitudinem.

Laudet factura dominũ, imponit laudi terminum, inopia sermonũ: in te sit finis carminũ, per natum pater luminum, & par vtrique donum.

HOs versus pro cõclusione posuit eorum quæ hactenus cãtata sunt, venerandus antistes, qui hæc sublimi canendi genere, pro rerum altitudine, altissimè pariter atq; aptissimè composuit. Quasi ergo carmine deficiens, neque vltra sermonem valens extendere, creaturam hortatur, vt secundum eam quam in se gerit naturalis bonitatis perfectionem, veluti reali clamo-

rē Deum inceſſanter collaudet, quod mortali cuilibet ſermonis inopia non permittit. Creaturá enim ſemper laudare dominū poteſt, ſua clamans eſſentia, ſuiſq; naturalibus perfectionibus velut quibuſdā clamoribus inceſſanter hoc vociferās, quoniam ipſe fecit nos, in omnipotentia, ſapientia, & bonitate ſua & non ipſi nos. Homo autem mortalis, ſermone aut voce ſemper laudare, propter inopiam atq; impotentiam, nequaquam poteſt. Deinde ſubiungitur. In te ſit finis noſtorum carminum, ô pater luminum: id eſt, ad tuum honorem, ad tuam gloriam, per tibi coęternum natum, & ſpiritumſanctum (qui eſt donum) vtriq; nempe & patri & filio coæqualem: cum quibus tibi cōmune eſt omnium creaturarum dominium. *Pſal.99.*

ANTIPHO. AD BENEDICT

O fœlix cœli ciuitas, cui trina ſplendet claritas: & quàm iucūda viſio, luſtrari trino radio mulcebris ardoris: illuſtra Deus oriens, his qui ſedent in tenebris: ne tendat grex cæcutiens, circundatus illecebris, in viam mox errorū,

Vere beata cœleſtis Hieruſalé, ciuitas beatorū omniū, cuius incolis Diuina claritas in ſua Trinitate ſplendet perpetuò,

ita vt eam facie ad facié aperta viſióe perpetuò contueamur. Et verè nimium iucúda beatiſsima illa viſio, per quam æternæ lucis radius contuentibus ſeſe infundens, eorumq́; mentes prorſus (vt ita dicam) penetrans, & intimè ſe in ipſos intromittés, ſuauiſsimo omnino atq; iucundiſsimo ſuccendit amore, eosq́; dulciſsimè ſic ardere facit. Non enim quemadmodum ardor corporei ignis cruciat corpora quæ inuaſerit, ſic ardor ille lucis diuinæ cruciatur⁹ eſt animas quas poſſederit: ſed ecōtrario, ſuauiſsima potius dulcedine atq; inæſtimabili refrigerio demulcebit. Vnde ardor ille mulciber dicitur, quòd eos quos accéderit demulceat, nó cruciet. Sequitur deinceps. Tu Deus, cui oriens eſt nomen, illuceſce iis qui adhuc in ignorátiæ tenebris ſedent, in vmbra mortis: ne tua luce deficiente, miſeri mortales parū admodū ex ſeſe niſi tuo adiuti lumine videre potétes, ex omni parte variis circundati illectamétis atq; bláditiis (quæ ad malū cōcupiſcétiá inſtabilé multimodis ſollicitāt) ſic ab eo qđ rectū eſt abſtracti & illecti, quę bona nō ſunt ſequétes, in viā pergāt erroris. Queadmodū enim facillimū eſt, eos qui cęcutiūt, id eſt, viſu parū admodū valét, à via recta abducere in de-

Ardor diuinus mulciber eſt.

Zach. 6.

uia,nisi dux itineris fidus,& visu potés adfuerit, potissimum si adsint qui ad viá non bonam sectandam excitent atque adhortétur:ita cú ex nobisipsis vix aliud quàm cęci simus & miserabiles,si desit cœlestis luminis ducatus non fuerit difficile in malú nos pertrahere,potissimum tot vndiq; blá dimentorum illecebris ex omni parte sese ingerétibus,verius quàm offerentibus,quæ nos a recto tramite quærunt a bducere. Apoc.3.

ANTIPHO. AD MAGNIF.

IN SECVNDIS VESP.

Aeterna mens dum flectitur in se,par proles nascitur notitiæ mentalis: simplicitatis ratio concludit,vt distinctio personæ sit aqualis:iucúdaq; germanitas requirit, vt par charitas sit duum medialis: hic sanctus extat spiritus,quem donet nobis cœlitus cum nato,principalis.

DEus pater qui est mens æterna atque fœcundissima,ad seipsam se flectendo,seq; ipsum contuendo,sic filium gignit sibi per omnia parem filium (inquam) qui est mētalis notitia siue conceptus,quod est verbum.Et cum simplicissimum constet esse Deum, neque vlla possit admitti substátialis in diuinitate diuersitas concludit,

hæc ratio ſimplicitatis, cogitq́; neceſſario nos fateri, inter mentem hanc gignentẽ & ſic genitum filium perſonalem tãtum eſſe, non vllam ampliorem diſtinctionem: ita vt diſtinctio geniti a gignente, non ſit quaſi rei vnius ab alia re, ſed quaſi perſonæ a perſona: perſone dico, omnino æqualis cum altera perſona à qua procedit. Ex hoc enim quod ſimplex eſt, Deus, duo hæc neceſſaria conſequentia & patenti demõſtratione colliguntur: primum quidem, inter gignentem mentem & verbum quod gignitur nõ eſſe niſi tantum perſonalem diſtinctionẽ. Nã ſi alia aliqua inter gignẽtem & genitum dicatur eſſe diſtinctio, quæ ſit amplius quam perſonalis, neceſſe eſt ergo realiter diſtingui perſonas iſtas, ſic vt duæ res ſint, nõ vna gignens & genitus: atq; ita non manebit in diuinitate ſimplicitas. Deinde etiã hoc ſimplicitas cum gignente. Nam ſi non eſt inter has duas perſonas æqualitas, ergo diuerſã eſt earum ſubſtantia, neq; vna eſſe poterunt eſſentia: atq; ita quidem aufertur à diuinitate ſimplicitas, quam diſrũpit male admiſſa ſubſtantiarum multiplicitas. Ita quidem ſimplicitatis ratio euidenter concludit, vt ſit diſtinctio perſonæ, & eius quidẽ cũ ea a qua ꝓcedit æqualis. Deinde iucũdiſsima

Ex ſimplicitate quæ eſt in diuinitate duo concludũtur.

illa amabilissima & perfectissima, quæ est inter gignentem & genitũ essentiæ germanitas atq; similitudo, omnino hoc requirit & mõstrat, esse charitatem duorũ medialẽ: id est amorem inter duas personas (nempe, semper gignentem & semper genitum) medium, quo pater gignens filio vniatur genito, & filius genitus patri vniatur gignenti. Quomodo enim nõ amore infinito & coæterno vnietur pater filio, quem sibi coæternum gignit ab æterno, in quo suam ipsius totam videt & plenã substantiam, imò quem videt cum seipso vnũ esse, & eandẽ prorsus esse substantiam? Et quomodo non vicissim amore infinito & coæterno filius vnietur patri, à quo se per æternam generationem hoc videt semper accipere, vt vnũ cum illo sit substantialiter, eiusdem quoq; potentię, sapiẽtiæ, omnimodæq; perfectionis, & omnino per omnia cum illo æqualẽ? hic verò amor increatus, patri gignenti & filio genito coæternus & consubstantialis, spiritussanctus est, tertia in diuinis persona: quem sanctumspiritum, tanquam omniũ bonorum summum atq; præcipuum, optamus cœlit⁹ nobis a principali cũ nato donari, in cordib⁹ nostris: id est, à patre, qui est velluti principale & fontale, vtriusq; princi-

pium, ſimul & a quo cum patre indifferenter procedit.

INVITATORIVM.

Regem trinum ac ſimplicem venite adoremus, trinúmque mentis apicem ter vni præſentemus.

Ioan 4. DEum ſummũ regem, qui trinus eſt & vnus, inuitamur his verbis adorare: & quomodo item in ſpiritu & veritate adorare oporteat, ſubſequenti particula edocemur: cum trinũ noſtræ mentis apicem, id eſt, tres illas vires quibus homo ſupereminet cæteris omnibus non intellectualibus creaturis (memoriá dico intellectum, & voluntatem) ei qui in Trinitate ſubſtantialiter vnus eſt, monemur præſentare, ſi e exhibere, atq; offerre in obſequium.

SEQVVNTVR RESPON.

Confirmat hoc myſterium, ſacrarium ſcripturæ: nam dixit author omnium, vt eſſent creaturæ. Verbum dedit initium vertibili naturæ. Verſus. *Hoc ſummæ lucis radium, hoc verbum dico filium, æternæ genituræ.*

SAncta ſcriptura (quæ eſt velut ſacrariũ, nimirum abditiſſima & ſanctiſſima fidei noſtræ ſacramenta intra ſe concludens, cõ-

ſeruans atque cuſtodiens, quomodo in ſacrariis res ſacræ ſolent cõſeruari) multiplici teſtimonio cõfirmat hoc beatiſſimæ Trinitatis ſacramentum. Et primum quidem, ex eo quod in ipſo ſtatim Geneſeos initio ſcribitur, dixiſſe Deum, vt eſſent creaturæ, id eſt, per verbũ creaſſe omnia. Nihil enim aliud eſt dicere vt ſint creaturæ, quàm verbo creare. In quo, ſtatim verbi a patre innuitur perſonalis diſtinctio. Cæterum, natura vertibilis dicitur natura mutabilis, quæ de alio in aliud verti ſiue mutari poteſt: cuiuſmodi eſt omnis natura creata. Huic, verbũ (quod eſt immutabile, inuertibile, & inuariabile) dedit creationis initiũ: quia per verbum creata ſunt omnia. Subditur deinde: Hoc ſummæ lucis radiũ, hoc verbũ dico filium æternæ geniture. Quaſi dicat: verbũ hoc, per quod accepit creationis ſuæ initiũ natura omnis mutabilis, ego dico radiũ ſũmę lucis: id eſt, ſplendorẽ paternæ gloriæ: dico quoq; filiũ æternæ genituræ, id eſt, de patre æterna generatione procedẽtem. Gen. 1.

Qui cœli fecit ambitum, moliſque nou fæcundæ, ſupertuliſſe ſpiritum inofimi fertur vndæ. Eundem hic paraclitum in nos fudit abũde. Verſus. *Per hunc donatur charitas, per hunc mentis vacuitas impletur, gemebunde.*

Gene.1. PRimo Geneſeos capite legimus, quẽadmodum in principio Deus cœlum & terrã creauerit: ſed erat adhuc terra inanis & vacua, illis nimirũ, quæ ex ea poſtmodum naſcitura erant, herbis atq; arboribus, cæteriſq; animantibus: quemadmodũ & aquæ adhuc infœcundę erant, nondum accepta virtute productionis piſcium, neq; volatiliũ, q̃ quinto diſtinctionis die primũ ex aqua iuſſa ſunt prodire. Erat ergo moles illa tota, aquæ ſimul & terræ, adhuc infœcũda fœcundanda in ſubſequentibus diebus operationis diuinæ. Ferebatur tamen ſuper aquas, etiam cum adhuc infœcũdæ eſſent, ſpiritus domini, quomodo voluntas & intentio artificis ſuper opus craſſum adhuc & imperfectum, quod vult ſuis perfectionib9 abſoluere. Qui ergo in exordio creationis rerum totam cœli fecit latitudinem, terræ quoq; & aquæ (q̃ erat moles adhuc infœcunda) fertur, id eſt, dicitur a Moyſe & ſcribitur, ſuum ſpiritum ſupertuliſſe aquis, quæ erant adhuc informes, nondũ ea quam expectabãt perfectionis forma diſtinctæ, Ipſe hunc eundem ſpiritum paraclitum in corda noſtra diuiter, copioſe, & liberaliter effundit, ſi poſtulemus eum: vt cordis noſtri latitudo ante eius aduentũ ſterilis, infœcũda

& informis,per eius aduentum fœcũditate donetur, & suæ perfectionis,id est omniũ virtutum forma,perficiatur. Donatur autẽ per hunc spiritum charitas:quoniã vt dicit Aposto.Charitas Dei diffusa est in cordib⁹ nostris,per spiritum sanctum qui datus est nobis.Mentis quoque per eum vacuitas in nobis impletur:quoniã egestati & paupertati nostræ, ipse sua liberalitate succurrit, nostræq; medetur inopiæ. Qui enim absq; illo pauperes sumus,cæci,nudi, & prorsus miserabiles(iuxta quod in Apocalypsi dominus loquitur)per illius aduẽtum diuites efficimur,ita vt iuxta Apostolicum sermonem nihil nobis desit in vlla gratia,expectãtibus reuelationem IESV Christi,domini nostri.Deinde mẽtis nostræ vacuitas per spiritum etiã hac ratione impletur,quia nimirum infirmitatem nostrã & impotentiam ad bonum ipse adiuuat,iuxta illud:Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Quod verò additur gemebũde,vel hoc significat,quod per hunc donatur charitas,& mentis impletur vacuitas, illis qui ipsum desiderant & pro eo gemunt,eumq; postulant.Dat enim pater cœlestis spiritum bonum,sed petentibus se.Et saluator Apostolos, vt eundem acciperẽt,petere & postulare docuit. Vsq;

Rom.5. *Apoc.3.* *1.Cor.1.* *Rom.8.*

Lucæ. 11. modo (inquit) non petistis quicquam: petite, & accipietis, vt gaudium vestrũ sit plenum. Vel hoc significat, quod eos quos implet & in quorum cordib⁹ charitatem donat, gemere facit, & orare, vt oportet. Iuxta illud Apostoli: Nos quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Qui auté scrutatur corda, nouit quid desideret spiritus: quia secundũ Deum postulat pro sanctis. *Rom. 8.*

Arcani dat indaginem, in opere finali, qui plasmans ait hominem, sermone numerali: Ad nostram sit imaginem, in apice mentali. Versus. *Cum simplex esset operans, se tamen ait operans, re sola personali.*

CReatis in principio cœlo & terra, ac deinde sex operatoriis diebus rebus omnibus distinctis & perfectis, postremo loco post cætera creatus est homo, propter quem vt finem facta fuerant cætera omnia: propter quod, hominis creatio recte opus finale seu finalis operatio nominatur. In hoc autem finali & nouissimo opere, post quod cessauit Deus ab omnibus quæ patrarat, arcani cuiusdam & latentis magni mysterii monstratur inuestigatio, in eo quòd creans Deus hominem, & formans de limo terræ loquitur sermone plurali, dicens: Faciamus

hominem ad imaginem & ſimilitudiné noſtram. Magnum enim indubiè in hoc latet ſacramentum, quod cum ipſe vnus eſſet & ſimplex operans, ſermone tamen plurali loquitur, & numerum indicante: cum ait, primum quidem, Faciamus, quod verbum eſt pluratiui numeri: deinde, imaginem & ſimilitudinem noſtram, quod licet ſecundum terminationem ſit numeri ſingularis, includit tamen in ſuæ ſignificationis modo numerum. Siquidem noſtrum aut veſtrum cum dicimus, plura ſimul intendimus. Prædictorũ ergo verborum (quoniam difficiliora ſunt) ſententia & ordo talis eſt. Magni myſterii & latentis ſacramenti præbet nobis inquiſitionem & conſiderationem Deus, in opere quod omnium poſtremo perfecit: cum de limo fingens hominem, ſermone loquitur tali, qui numerum includit & indicat, dicens: Faciamus hominem eſſe, ſecundmm animam & ſpiritum, ad imaginem noſtram. Cum enim eſſet ipſe creans hominem ſimplex omnino & vnus, loquitur tamen quaſi ſe numerans, & in ſe numerum & pluralitatem indicans: ſed pluralitas iſta non niſi perſonalis eſt, neque numeratio illa niſi perſonalem indicat diſtiƈtioné. Numerat enim ſe Deus ſecũdum rem per-

ſonalem, id eſt, ſecundum perſonam, nõ ſecundum rem ſimpliciter, quaſi ſe plures dicat eſſe res cũ ſit res vna ſimpliciſſima, & (vt ita loquar) vniſsima.

Quid Abraham ad hoſtium, per trium cõtubernium virorum ſpeculatur. Dum triũ differentium indifferens dominium, adorans proteſtatur. Verſus. *In his vidit indicium triũ quorum faſtigium in nullo ſeparatur.*

Gene.18. EX capite decimo octauo libri Geneſeos, nota eſt hyſtoria, quemadmodum Abrahæ in conualle Mambrę, in õſtio tabernaculi ſedenti, in ipſo feruore diei, apparuit dominus. Ipſe enim eleuatis oculis, tres viros prope ſe ſtantes cõſpexit. Quos cũ vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terra, & dixit, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuũ: ſed afferam pauxillum aquę, & lauẽtur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, & cætera quę inibi prolixa deſcriptiõe ſequũtur. In quibus euidenter ſatis & vnitas & trinitas in Diuinitate repreſentata fuit. Cũ enim tres viros ſcriptura vidiſſe fateatur Abraham, eoſdem tamen ſingulari numero quaſi vnũ adoraſſe, indicatur, hac viſione trinitatis

myſterium inſinuatũ. Quod ipſum etiã ſcripturæ tenor obſeruat, modo ſingulari numero, modo plurali velut indifferenter loquens: quoniã nihil differt, ſiue numero ſingulari vnitatem, ſiue plurali trinitatẽ exprimamus: Eadẽ enim ſubſtantia quæ trinitas eſt, ipſa eſt vnitas: & quæ vnitas eſt, eadem ipſa eſt & trinitas. Quid ergo Abraham in oſtio tabernaculi ſui ſpeculatur, per ſocietatem trium virorũ ſibi apparentiũ? Indubie magnum aliquid, & id quod nos modo laudamus Trinitatis benedictę myſteriũ. Dum adorans tres quaſi vnũ, & ſic eos alloquens, proteſtatur palámque confitetur vnũ idémque & indiſtinctum atque indiuiſum dominum trium perſonarum. In his antem tribus ſibi apparentibus viris, intellexit ſibi monſtrari, tres illas in diuinis coeternas perſonas, patrem, filium, & ſpiritum ſanctũ: quorum trium dominium, maieſtas atque ſublimitas, in nullo prorſus eſt diuerſum, ſed eſt omnimodis idem.

Aeterna mundum ſerie, conceptum ſapientiæ fert Salomon præiſſe, Paris efficientia, communíſque lætitiæ cum domino fuiſſe. Verſus. *Tres ſunt in throno gloriæ, parens, proles, delitiæ, per natum nobis miſſæ.*

Sap. 8. APud Salomonem in Prouerbiis, capite octauo, æternam sapientiã legimus in hunc modum de seipsa loquentem: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquã faceret, à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles, ego parturiebar. Rectè ergo Salomon asserit conceptum sapientiæ increatæ, id est, generationem verbi (quod est sapientia patris) æterna serie, hoc est, ordine æternitatis, siue ab æterno antecessisse mundum, & omnia quæ in mundo sunt. Siquidem in temporis initio creatus est mundus. Sapientiæ autem generatio principium non habet, sempiterna est. Quod verò sequitur, sapientiam illam cuius conceptus præcessit æterna serie mundũ, fuisse paris efficientiæ cum domino patre, illud est quod in subsequentibus verbis, loco suprà adducto subiungitur. Quando pręparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne trans-

irent fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Deinde quid sibi velit, quod sapientia communis lætitiæ dicitur cum patre fuisse, mox subsequenter ipsamet sapientia aperit, dicens: Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Ex quibus Salomonis, siue ipsius potius sapientiæ verbis, non est difficile propositi sermonis accipere intelligentiam. Quod autem sequitur. Tres sunt in throno gloriæ, &c. per se satis patet: si tantum intelligatur, deliciarum nomine spiritus sanctus significari, qui sicut bonitas, amor, dulcor, & gaudium, ita & delitiæ appropriatè solet nominari. Ipse est enim, qui solus veras cordibus nostris delitias infundit, veroque nos gaudio per vnctionē suam internam impinguat. Quas sanè delitias per natum nobis pater misit, quoniam à patre spiritum sanctum mittit filius, quomodo à patre est, & à patre habet omnia. Iuxta illud: Cum venerit paracletus, quē ego mittam vobis à patre, &c. *Ioan.16.*

Quis aquis vestem tribuit? Quis spiritum continuit in manu, more doni? Iudæi iuris inscii, quod nomen eius, filiique, dicant Salomoni.

Versus. *Iesum, quem qui est genuit, per donum quiuis induit subiectus lotioni.*

Qui propositum hunc sermonem velit intelligere, necesse est locũ inspiciat, quem sermo iste respicit. Est autẽ
Prou.30. in Prouerbiis Salomonis, capite tricesimo: vbi hæc scripta inuenies, in ipso statim capitis initio. Verba congregantis, filii vomentis. Visio, quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecũ: non didici sapientiam, & noui scientiam sanctorum. Quis ascendit in cælum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terræ? Quod nomen est eius, & quod nomen filii eius? si nosti. In quibus verbis post refutatam humanam ac sæculi sapientiam (quam secum nõ esse, ingenue fatetur homo quem Deus docuit meliorem sapientiam) ex ea quam Deo per visionem & illuminationem internam docente, didicit, scientia sanctorum, interrogat vanos sæcularis sapientiæ (vt videtur) sectatores, nimirũ philosophos & sæculi prudentes, quæstiones eiusmodi, quas ipsi ex sua ventosa sapientia, absq; Dei

ſcientia non erant potentes diſoluere. Hunc eundem ſermonem, venerãdus antiſtes, qui hæc ad beatiſſimæ Trinitatis laudem concinnauit, ad Indæos (qui pollicentur ſe Dei ſcientiam habere, confidentes in mortua legis cognitione) nunc cõuertit fidenter, eos interrogans, vt nomen eius qui hæc omnia miranda fecit ipſi enarrent: & ſi forte reſpõdeant Deum cæli feciſſe hæc omnia, etiã illi reſpondeant quæſtioni, quã interrogat vir cum quo erat Deus, vt nomen quoque filii eius enarrent: quod ſi tentauerint, indubie illum (velint nolint) ſignificabunt, quẽ nos colimus, Ieſum Chriſtum dnminum, & ſaluatorem noſtrum: quem ipſi conſtantiſſimè, imò impiiſſimè, pernegant. Ob quod etiam iuris rectè inſcii nominantur. quia legem in qua ſe inſtructiſſimos gloriantur atque doctiſſimos, ſecundum veritatem ignorant: neſcientes (iuxta illud Apoſtoli) neque quid loquantur, neque de quibus affirment. Si enim legem ſcirent & Prophetas, ſcirent vtique Chriſtũ, & iuſtitiam eius, cui teſtimoniũ perhibent lex atque Prophetæ. Aut iccirco iuris inſcii dicantur, quia quod iuſtum eſt ignorant, idq́; quod optimo iure merito vtiq; ſcire debebãt & agnoſcere, ex patrũ promiſſionibus, Prophetarũ oraculis,

Rom. 2.
1 *Tim.*
Ioan. 5.
Rom. 3.

miraculorũ testimoniis, excæcante eos malicia, nolunt agnoscere, & scire plane recusant. Stringantur tamen à nobis, & cogamus Salomoni eos respondere, vt nomen patris, filiique eius nobis edisserant. Si filii nomen Messiam dixerint, aut saluatoré, aut regem, indubiè iam illum loquũtur (quanquá ignorantes) quem nos cum patre, & spiritu sancto in Trinitate Deũ adoramus. Quid auté hæc sibi velint, aquis vestem tribuere, aut aquas quasi in vestimento concludere, spiritum in manu continere, & cætera quæ suprà posita sunt in quęstione sapientis, si quidem simplicem requirimus & literalem intelligentiã, non ita difficile est explicare. Aquas enim Deus quasi in vestimento conclusit, quia sic intra limites & alueos arctauit, acsi in vestimento conclusisset: quemadmodum (vt humanum aliquid loquar) ea quæ de se fluida sunt, & male cohærentia, solemus vel sudario, vel panni, aut vestimenti parte aliqua concludere, vt non dilabantur. Atque ita quidé in Psalmis scribitur, quod
Psal. 32. aquas deus quasi in vtre concluserit. Spiritum verò in manibus continet, quia ventos sub suo habet imperio, potestatem habens cum voluerit educere, & potestatem habens cum voluerit continere. Iuxta illud

Pſalmiſtæ : Qui educit ventos ab extremis Pſal.134.
terræ: & illud Euangelii: Venti & mare obe
diunt ei. Imperauit ventis, & facta eſt tran- Matt.8.
quillitas magna. Secundum myſticam ve-
rò intelligentiam, per ſpiritum rectè poſ-
ſumus intelligere ſpiritumſanctum : quem
Deus in manu continere dicitur, quomodo
vulgo dicere ſolemus, id quod nōſtra po-
teſtate eſt ad dandum aut non dandum, nos
in manu habere, ſiue continere. Ita quidem
Deus & pater & filius, in manu continet
ſpiritum ſanctum, admodum doni : quo-
niam pro beneplacito, velut huius doni po-
teſtatem habentes, donant cui voluerint.
Aquæ verò, populi intelliguntur fidelium,
iuxta illud Apocalypſis : Aquæ quas vidi-
ſti populi ſunt. Quas ex ſe fluidas, & ex ſe
nihil niſi in interitum dilabentes, Deus con Apo.17.
cludit in veſtimento : quando in baptiſma-
tis ſacramento, per ſpiritum ſanctum, fideles
induit Chriſtum · vt in hoc veſtimento ſal-
uentur, qui ſua nuditate erant alioqui colla-
pſuri in nihilum. Itaque veſtimentū aqua-
rum, Chriſtus eſt Dei filius, & veſtiūtur hoc
indumento aquæ, quando Chriſtum fideles
induunt. Quod ipſum ſubſequens etiā verſi-
culus indicat, dicens, quéuis lotioni baptiſ-
mali ſubiectū, id eſt, baptizatum quemlibet,

induere Iesum (quem ab æterno gignit pater omnipotens) per spiritum sanctũ, quem accipiunt in baptismo credentes. Sic enim & beatus ait Apostolus: Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis.

Candor lucis, per purum speculum, patris splendor, perlustrans sæculum, Nubis leuis intrans vmbraculum in Aegypti venit ergastulum. Versus. *Virgo circundedit virum, mel mandentem & butyrum.*

CAndor æternæ primæq; lucis, qui est splendor patris, ingrediens & visitans mundum per virgineum vterum, quasi radius per speculum & vitrum purissimum, absque violatione claustrorum pudoris, sese abscondens sub tegumento carnis nostræ, quemadmodũ radius sub nube leui ac fragili, venit in carcerem Aegypti, id est, in huius mundi exilium. Quemadmodum enim solis radius, nonnunquam sub tenuis & non duraturæ nubis tegumento absconsus latitat, sic dum verbum caro factum est,

Ioan. 1. diuinitas sub humanitate se occultauit. De

Esa. 19. nube verò leui, & de descensu in AEgyptũ, ex Esaia desumptum apparet: in cuius decimonono capite tale legimus vaticiniũ: Ecce dominus ascendet super nubem leuem,

& ingredietur AEgyptum, & mouebuntur ſimulachra AEgypti à facie ei⁹, & cor AEgypti tabeſcet in medio eius. Solemus autem per AEgyptum, familiari ſatis conſuetudine intelligere, huius mundi exilium: in quo ſub duriſſimis exactoribus, ſub immaniſſimo Pharaonis imperio, peccatores ſeruiunt, & aliqua ex parte pene omnes affliguntur. Ergaſtulũ verò, locus dicitur in quo ad opera dura facienda ſeruantur, cuſtodiuntúrque dãnati: & generali appellatione, pro quolibet carcere vſurpatur. Solent enim ad metalla fodienda, aut ſimilia dura opera, dãnari homines malefici, inque hoc opus vinculis alligati ſeruari: quemadmodum qui ad triremes modo dãnantur. Vnde ergaſtulũ AEgypti, vocatur huius mundi exilium, in quo velut in carcere, ſub pondere carnis, peccatorũ atque concupiſcentiarum, duris affligimur terrimúrque laboribus. Verſus autẽ qui ſequitur, Virgo circundedit virum, mel mandentẽ & butyrũ, ex Hieremiæ & Eſaiæ oraculis cõtextus cognoſcitur, neque ad intelligendum quicquam habet ſpecialis difficultatis. Conſtat enim tunc virginem circundediſſe virum, quando virgo permanens beata Maria, ſine virili ſemine, ſpiritu ſancto impregnata, con-

Dan. 7.

Hiere. 31.
Eſa. 7.

cepit in vtero Christũ, virum & maximum Deum, eundem qui erat in sinu patris cum patre ab initio: qui non à corporis magnitudine, sed à diuinitatis maiestate (quæ ipsum, licet humiliatum, non destituebat) siue etiam à plenitudine charismatũ, quæ ab initio conceptionis in illo non ad mensuram fuit infusa, rectè viri nomen habet, secundum ætatem etiamnum puerulus, imò necdum infans de vtero natus.

Ioan.3.

A veterani facie, manauit ardens fluuius antiquus est ingenitus, & facies est filius, Ardoris fluxus spiritus, duorum amor medius. Versus. *Sic olim multipharie Prophetis luxit Trinitas, quam post pandit Ecclesiæ in carne fulgens veritas.*

Dan.7. Aspiciebat in visione Propheta Daniel (quemadmodum libri eius capite septimo describitur) antiquum dierũ sedentem, candido indutum vestimento, capillos habentem quasi lanam mundam, à cuius facie fluuius igneus rapidúsque egrediebatur. Quam visionem ad mysterium benedictæ Trinitatis, qui hæc concinnauit vir diuino illustratus radio, commodè admodum referendam putauit: ita vt per antiquũ dierum, pater intelligatur æternus, qui icircò

antiquus dierũ dicitur : quoniam duratione æternus eſt:non autem quod dierum lapſu conſenuerit, aut antiquatus fuerit. Et quanquã etiam filio cõuenit æternitas,atq; ſpiritui ſancto, tamen ob principii rationẽ; patris perſona per antiquum dierũ ſiue veteranum, id eſt, duratione æternũ, appropriatè poteſt intelligi. Facies patris,filius dicitur, in quo videtur pater, & qui eſt imago,decor,& pulchritudo patris. Sãctus aũt ſpirit⁹,qui eſt amor duorũ medius, quo nimirũ & pater filio,& filius patri,amore cohæret atq; vnitur,ipſe ꝑ fluuium igneum & rapidum ſignificatur. Fluuius ſanè eſt,propter irrigationẽ & fœcũditatẽ, qua hominum mentes irrigando fœcũdat. Igneus autem fluuius, quoniam in Dei amorẽ ardere atq; feruere facit, in quibus inhabitauerit. Rapidus verò, quoniam vehemens eſt, & magna omnino quę ſupra naturam ſunt,ſua beata violentia operatur,in illis quos repleuerit. Verſiculus autẽ qui ſubnectitur,beatiſsimam trinitatem,quę ante Chriſti aduẽtum Prophetis multipharie multisq; modis per viſiones & reuelationes fuerat indicata; aſſerit Chriſto aduenięte palam toti orbi,ex eius traditione atque iuſsione,prædicatam atque proclamatam. *Hebr.1.*

Sequamur testimonium, quod patri super filium complacuit effari. Cui spiritus solatium, columbæ per prodigium, ostendit immorari. Caligat huic scrutinium, non sufficit ingenium tam ardua rimari. Versus. *Hoc probat turba testium, qui signis lucent clari: nec hæresis mendacium, his potest refragari.*

IVstum omnino est & rationabile, vt testimonium patris sequamur atq; recipiamus, eiq́ue fidem habeamus, quod testimonium de nube voluit super filium pronun-
*Mat.*17. ciare, dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. In quo etiam filio, spiritus solatium & gaudium inhabitare monstratum est, per signum columbæ cœlitus apparentis, & super eum descendentis. In hoc verò tam altissimo fidei nostræ sacramento, in re tam sublimissima omniũ captu difficillima, caligat & tenebrescit nostra inuestigatio: neq; sufficit nostri ingenii mediocritas, tam sublimia perscrutari. Probat tamen nihilominus veritaté huius fidei, sanctissimorum plurimorũ patrum, qui etiã signis præclari fulserunt atq; prodigiis, veneranda & concors authoritas: neque potest hæreticorum quorundam praua peruersitas, aduersus tam cõcordem & consonã tot venerabilium patrũ sententiã vllo pacto præualere.

SEQVITVR EXPOSITIO HYMNORVM.

In maieſtatis ſolio, tres ſedēt in triclinio: nam non eſt conſolatio perfecta ſolitario.

SVper diuinæ maieſtatis regium thronū, in conclaui ac ſecretario diuinitatis, tres ſedent perſonæ, vnum tenentes in maieſtate indiſtinctū atq; indiuiſum dominiū ſiue imperiū. Neque enim ſi omnimoda in Deo eſſet vnitas, neq; vel perſonalis poneretur pluralitas, perfecta eſſe poſſet ſolitarii illius beatitudo. Neq; enim ſi pater ſolus eſſet, aut ſolum verbū. aut ſolus ſpiritus, perfecta eſſe poſſet perſonæ alterius ſine altera beatitudo. Cùm enim bonum quanto melius atque perfectius, eo magis ſit ſui communicatiuum: conſtat, ęternum illud primū ſummumq; bonum, quod eſt ipſa perfecta, infinita, & pleniſsima bonitas, bonitas vtiq; fœcundiſsima & perfectiſsima, non poſſe perfectam habere ſuā bonitatē, neq; talem poſsidere ſtatum qui ſit omnium bonorum aggregatione perfectus, niſi iuxta ſuā perfectiſsimam & fœcūdiſsimā bonitatem, perfectiſsimo quoque modo ſe, ſuamq; bonitatē communicet. Perfectiſsimus autem cōmunicationis modus eſt, quo cōmunicatur nō ſolùm ſpecies, ſed ipſa etiam plena & inte- *Ioan. 4.*

gra substantia: qui modus Deo, & soli Deo competit: cuius immensa, infinita, & potentissima fœcũditas hoc facit, vt seipsum hoc perfectissimo modo communicare valeat. & inæstimabilis bonitas facit vt velit.

Aeternæ mentis oculo dum pater in se flectitur, in lucis suæ speculo imago par exprimitur.

NOuimus in Deo neq; oculũ, neq; aurem, neq; vllum huiusmodi corporale mẽbrum inesse. Oculũ tamen eius, ipsam vocam⁹ mẽtem eius: imò ipsummet, qui est mẽs ipsa sua beatissima. Vnde quod dicitur oculus æternæ mentis, videtur ita accipiẽdũ, vt sit cõstructio transiens ꝑ non transeũte posita, vt idem valeat ocul⁹ ęternæ mentis, quod oculus qui est mens æterna, quemadmodum & in eo quod mox sequitur, In lucis suæ speculo, intelligi debet, in luce sua, tanq̃ in speculo. Pater ergo ingenitus, qui est mens æterna, mens beatissima atq; fœcundissima, dum mẽte & intelligentia in seipsum flectitur, suá substantiá intuendo & cognoscendo, ita in ipsa sua luce (id est, in luce quæ est ipsemet) tanquam in speculo pfectissimo exprimitur & gignitur conceptus, siue verbum coæternum, quod est imago patris: in qua nimirũ perfectè re-

præsentatur paternæ gloriæ maiestas,& eadem videtur substantia: imago vtiq;,patri par,& per omnia coæqualis.

Imaginis cõsortiũ, natiuus præbet exitus:cõcorsque spirãt gaudium, ingenitus & genitus.

INter processionem filii & sancti spiritus, orthodoxi patres hanc ponunt differentiam:quod filius per modum intellectus ꝓcedat, id est, ad eum modum quo conceptus,cogitatio,siue verbum internum,procedit à potentia sua intellectiua,à qua efficitur, spiritus autem sanctus,per modũ voluntatis, id est,ad eum modum quo actus voluntatis procedit à voluntate,siue potentia volitiua. Inter intellectum autem & voluntatem hoc interest, quòd intellectꝰ suos actus naturaliter operatur,& actus eiꝰ à sua potentia naturaliter procedunt. Actus autem voluntatis, liberè procedũt & efficiũtur à potentia voluntatis. Intellectus enim naturaliter intelligit:volũtas nõ naturaliter vult, sed volũtariè & liberè. Cùm ergo filius procedere dicatur per modũ aut secũdùm rationem intellectus, cõsequéter etiá dicitur, ꝙ naturaliter ꝓcedat à patre. Naturaliter enim patris fœcũditas gignit sibi coęternũ & coęqualé filiũ. Atq; hoc est,qđ modò canitur,consortium imaginis, id est,

ſocietaté verbi & filii, pręberi à natiuo exitu, id eſt, ſecundum naturalem ꝓceſsionem & generationem procedere. Ingenitus autem pater & genitus filius, quaſi vnũ & indifferens principium, ſpirant gaudium cõcors, indifferens, mutuum atq; reciprocũ, ipſum quod ſequenti verſu deſcribitur.

Hoc gaudium eſt ſpiritus, quo patri natus iungitur: & vnum bonum funditus in tribus his concluditur.

HOc auté gaudiũ increatũ, quod modò dixim⁹ à patre & filio indifferéter ſpirari, ſpiritusſanct⁹ eſt, qui amor & gaudiũ dicitur, quo veluti vinculo quodã & nexu increato, patri gignéti filius nectitur genitus, ac viciſsim gignés genito. Et in tribus his ꝑſonis, vnum omnino idemq; bonum fundit⁹ cõcluditur, id eſt, ſubſtãtialiter ineſt. Hoc auté eſt, in trib⁹ his vnam ineſſe eãdemq; ſubſtantiã & bonitaté, neq; quicq̃ habere bonitatis aut ꝑfectionis vnã ꝑſonarum, quod non item habeant, & cætera.

In tribus eſt ſimplicitas, quos non diſtinguit qualitas: nec obſtat tribus vnitas, quos ampliat immenſitas.

IN tribus hiſce ꝑſonis eſſentiæ ſimplicitas atq; ſubſtantiæ vnitas: quas ꝑſonas, nulla realis qualitas, conditio, ſiue perfectio realiter

liter diſtinguit. Neque obſtat perſonarum trinitati, eſſentialis vnitas: eò quòd vnitati huic ſit coniuncta immenſitas atque infinitas. In rebus enim. quæ certæ ſunt finitæque naturæ (cuiuſmodi ſunt creata omnia) omnino repugnaret eſſentialis vnitas multitudini, neque in reb⁹ creatis vbi non eſt imméſitas, poſsibile eſt inter aliqua pluralitaté eſſe pſonalé quib⁹ vnitas eſt eſsétię. Vnde qui filium diceret aut ſpiritum ſanctum nõ eſſe ſecundum eſſentiam immenſum & infinitum cum patre, ſed minorem: hic, vt trinitatem ſeruare poſsit, certè vnitatem negare cogitur.

Per ſolam vim originis, communio ſit numinis, natiui ductu germinis, votiuiq; ſpiraminis.

COmmunicatio autem & participatio, quæ in diuinis inuenitur, nõ vtiq; per ſeminalé generationé, vel corporalé aliquá admixtionem, ꝓpagationem, ſeu qualécũque aliá fit actionem: ſed p ſolá vim originis, & ꝓceſsionis vni⁹ pſonę ab altera. Idq; ductu ſiue ꝓceſsione duplici, natiui videlicet illi⁹ germinis, id eſt, filii de patris ſubſtá- tia naturaliter geniti, & ei⁹ qui ſpirat̃, nẽpe ſpũſſancti: qui votiuũ ſpiramen iccirco dicitur, quod p modũ & ſecundum rationem

&

voluntatis (vt ſuprà diximus) pcedat, filio per modum germinis naturaliter, ſecūdum rationem intellectus, procedente.

Ingenito & genito, cum ſpiritu paraclito, honoris ſimpli debito, pſallamus corde debito.

NOs qui ſanctæ trinitatis fidem agnouimus, eiúſq; in Eccleſia ſancta in cōfeſsionem dicimus, pſallamus debito corde, & alacri deuotoq; animo, patri, filio, atque ſpiritui ſancto, per debitū ſimpli vniuſque honoris. Neq; enim triplo honore trinitas perſonarum veneranda eſt, quaſi alio ſit honore pater, alio filius, alio ſpiritus honorandus: ſed ſimplus omnino vnúſque eſt honor, qui tribus eſt debitus.

SEQVITVR HYMNVS AD NOCTVRNVM.

O lux beata trinitas, tres vnum, trium vnio: imperialis vnitas, in trium contubernio.

LVx ſumma, lux immenſa, lux increata & incōprehenſibilis eſt beata trinitas: tres perſonæ, vna ſunt ſubſtātia: & trium perſonarum, eſt eſſentialis vnio: eſtq; imperialis vnitas, & domini ſimplicitas, in trium perſonarum ſocietate æquali, ſiue cōtubernio. Quæ quidem omnia, ſi extra diuinitatem cōiungātur, pdigia videbuntur & abſurda: nempe quod tres ſint vnum, quod trium ſit

essentialis vnio, quod imperii vnitas tribus sit communis, vnúmq; & idé penitus dominum cõueniat tribus. Hæc, inquam, si in rebus humanis aut cæteris creatis asserantur, absurda prorsus videbuntur, & planè impossibilia. Attamen in diuinis personis ita credere & confiteri necesse est, omnem qui velit rectam fidem tenere, rectamque fidei confessionem profiteri.

O pater innascibilis, natura semper pullulãs, pondus rei vertibilis verbo virtutis baiulans.

PAter cùm sit ingenitus, gigni, nasci, aut quoquo modo procedere nõ potens, cùm sit pricipium fontale omnis esse, nihil habens à quo possit procedere: semper tamen naturali sua potentissima fœcũditate germinat, gignitque de sua substãtia sibi coæternum filium: qui dicitur verbum virtutis eius, quoniã Dei filius, & verbũ, & virtus dicitur: Verbũ vtiq; virtutis, quoniam per ipsum facta sunt omnia. Per quod insuper virtutis verbũ, Deus pater pondus gerit, molemque sustinet & regimen vniuersæ creaturę, & omnium quę sunt mutabilia. Fert pondus, inquam, vertibilis rei, id est, sustentat, regit, & moderatur omnia, quęcunque sunt per idem virtutis verbum, ex eius potentia in natura

Ioan.1. *Hebr.1.*

Hebr.1.r ſua mutabili creata. Quemadmodum enim per verbum pater fecit ſæcula, ita per idem portat, ſuſtentat, atque moderatur omnia.

O verbum in principio, paternæ ſplendor gloriæ: tu conditorũ ratio, lux cordium, fons veniæ.

O Verbum ante omne temporis initiũ ab æterno genitum, ſplendor exiſtens de patris luce atque ſubſtantia gloriæ eius ꝓcedẽs: tu es ratio, & exẽplar quoddã increatum, omnium eorum quæ in tempore ſunt condita: tu es per quem cordis noſtri illuſtrãtur tenebræ, & fugãtur errorum nebulæ, nimirũ lumen mũdi, & ipſa ſumma *Ioã.1. & Ibidem.* primaq; veritas: tu es vnde & per quam nobis peccatorũ remiſsio donatur, & gratia.

O amor ſancte ſpiritus, concordiæ ſpiraculũ, ſummi dulcoris halitꝰ, pax, fœdus, fructꝰ, oſculũ.

SPirituſſanctus, quemadmodum frequẽter ſuprà diximus, per amorẽ ſignificari ſolet, quomodo filius per verbum. Vnde ex conſequenti, cæteris etiam nominibus quæ ad amorem pertinent (cuiuſmodi ſunt, pax, fœdus, fructus, oſculum, concordia, & huiuſmodi) non incongruè poteſt appellari. Vt ergo ſigillatim ſingula explicemus, ſpiraculum concordiæ dicitur ſpirituſſanctus, quoniam ipſe eſt ſpiritus cõcordans in vna *1.Cor.1.* fide, ſpe, charitate, in vno ſenſu eadẽq; ſen-

tẽtia fidelium animos: & (vt Psalmistę verbis vtar) habitare faciens vnanimes in domo. Non enim est dissensionis spiritus, sed cõcordiæ, pacis, & vnitatis. Halitꝰ est summi dulcoris, id est, flatus, siue spiritus (siquidem spiritus: spiraculũ, spiramen, flatus, halitus, pro eodem accipimus) summæ & immensæ dulcedinis atq; suauitatis, qua fidelium in quibus inhabitat animos, & nunc dulciter reficit, & in futuro plenissimè satiabit. Pax verò dicitur & fœdus, quoniam ipse est qui pacem veram donat in cordibus fidelium, & Deo nos confœderatos, amicos familiares, atq; fideles facit. Quisquis enim spiritum sanctũ non habet, quãtumuis sibi videatur habere requiem & cõsolationem, verã ille pacem nõ habet. Cõtra, quisquis spiritum Christi habet, pacem habet, etiam si mille iuxta corpꝰ diuexetur malis, aut maximis subditus iaceat tormentis. Neque iterum cum Deo confœderatus & cõsociatus esse potest, vt de familia sit & inter amicos Dei, quẽ spũs iste nõ inhabitat. Cùm verò fructũ audis, nõ ita intellige, quasi nos illũ ꝑferamꝰ, vt fructũ ꝑferre solent quæ fructificant: sed quia ipse est, per quẽ fructũ Deo dignũ corda nostra infœcũda alioqui & sterilia, ꝑducũt: iuxta illud:

Psal. 103.
1. Cor. 14.

Emitte ſpiritũ tuũ & creabũtur,& renoua-
Pſal,103. bis faciẽ terrę. Oſculũ quoq; ad amorẽ ſpe
ctat,& amoris vinculũ pariter atq; indiciũ
eſt. Quẽadmodũ verò oſculo coniungitur,
is qui oſculatur,ei quem oſculatur ſic Deus
pater & fili⁹ per ſpiritũ ſanctũ,eos quos di
ligũt,ſibi copulãt atq; coniũgunt,& modo
quodam amplexantur atq; conſtringunt.

Pater igitur imaginem,æqualẽ ſibi penitus: ſolámque per originem,ab ipſis differt ſpiritus. Tres vnum Deum colimus,vnã trium eſſentiã: tribus,vnam impendimus honoris reuerentiam.

QVomodo pater gignat imaginem ſibi per omnia coæqualẽ,item & quomodo ſpiritusſanctus à duab⁹ iſtis perſonis per ſolam originẽ ſiue proceſſionẽ differat non per eſſentiã,iam frequẽter & clare ſatis,in prioribus oſtendimus. Similiter & illud,quomodo tres perſonas ſubſtantialiter vnũ tantũ Deum colimus,& vnam eſſentiã trium perſonarum adoramus,quomodo tribus perſonis propter vnitatem eſſentiæ vnam impendimus eandémque honoris reuerentiam. Neque hęc aliquid habent ſpecialis difficultatis,quæ non in ſuperioribus (quantum rei ſublimitas patitur) ſit vtcunque expedita.

HYMNVS AD LAVDES.

Festi laudes hodierni, ritu ductas annuo, ciues gaudio superni celebrant perpetuo: regem trinum dum ter terni chori, laudant mutuo.

HVius festi (quod nos modo vno hoc die ad beatissimę Trinitatis memoriã peculiari deuotione, soléni obseruatione colimus) laudes recurrentes per anni circulum, celebrãt superni ciues perpetuo & incessabili gaudio: dum ipsam Trinitatem cõcordibus vocibus & adinuicem resonantibus, nouem angelorum chori incessanter sine fine collaudant. Quod enim nos vno tantum die, idq; ægrè admodum facimus per anni circulum, hoc supernis ciuibus est perpetuum, apud quos semper recens est beatissima Trinitatis solennitas.

Vita, melos, cor supinum: trini cultus munere veneremur regem trinum, voce, votis, opere: quem lex iubet, masculinum ter in anno colere.

QVi beatam Trinitaté digna velit laude venerari, hoc curet, primũ quidé recte viuédo & bene cõuersando, deinde ore etiã psallédo atq; carédo, postremò cordis quoq; affectũ in ipsã subinde eleuãdo. Hoc liqdé munere triplicis cult⁹, népe ope bonę cõuersationis, voce dignę laudis

& affectu pio bonę volũtatis, regẽ trinũ decet honorari: quem lex Mosaica, ad trinitatis beatissimę qualecũq; indiciũ, iubet p singulos annos ter a quolibet masculini sexus coli & adorari. Sic enim Exodi vicesimotertio Israelitico populo pcepit Moyses, siue p Moysen domin⁹. Ter (inquit) in anno apparebit omne masculinũ tuũ corã domino Deo tuo. Quã trini cultus prescriptionẽ commode admodũ fidei nostre pietas ad Trinitatis reuerẽtiã existimat referendam.

Exod. 23.

Singulari maiestati decus & imperium, sacrosanctæ Trinitati sit perẽne gaudium: in qua sumus nos beati, per te Christe, præmium.

SIngularis maiestas dicitur maiestas Diuinitatis, quia patris, filii. & spiritussancti, vna est eadẽq;, coæqualis, & coæterna maiestas: non alia maiestas patris, & alia filii, & alia spiritussancti. Vna est ergo trium personarũ & singularis, nõ autẽ pluralis, maiestas. Quod autẽ dicitur, In qua sumus nos beati, p te Christe, duo nobis distincto isto loquẽdi modo significat: nẽpe beatissimam Trinitatẽ esse in qua cõsistit nostra fœlicitas, nostraq; beatitudo: & quod p Christũ ad eam beatitudinẽ pertingere debeamus. Quorũ vtrũq;, multo verissimũ est, & fidei rectę indubitatissimũ. Siquidẽ sanctorũ fœ-

licitas & beatitudo, in sanctissimę ac beatissimę trinitatis aperta visione, & pfecta fruitione cõsistit. Tũc enim beati erimus, cũ viderimus facie ad faciẽ, quod nũc p speculũ tantum contẽplamur in ænigmate: cũ apparente & se manifestante domini gloria, satiabimur & inebriabimur ab vbertate dom⁹ Dei. Per Christum vero ad beatitudinẽ hãc pertingimus, quoniã ipse est ostiũ, per quod in illam beatissimam fœlicitatẽ ingredimur, quotquot eligimur. Ipse est pastor, qui nos humeris suis impositos illo infert, sua benignissima gratia. Ipse est, qui viam reserauit, peccatorum impedimenta abstulit, vectes ferreos nostræ captiuitatis confregit, per quẽ pacem habentes ad Deum, & accessum habemus ad patrem, in gratiã istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: vt merito dicere nobis liceat, quod per Christum beati simus, qui & ipse, nostrum est præmium, in quo totius Diuinitatis plenitudo inhabitat. Siquidem hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum, Cui est tecum, & cum Spiritusancto idem honor, & æqualis gloria, per omnia secula seculorum.

1. Cor. 13. *Psal. 35.* *Ioan. 10.* *Ibidem.* *Psal. 106* *Rom. 5.* *Colloss. 1.* *Ioan. 17.*

Finit expositio Officii de sancto, & superbenedicta Trinitate.

DE IOANNE PECHANO, HVIVS OFFICII ECCLESIAS-*tici de ſancta trinitate authore, ex antiquis & fide dignis hiſtoriis.*

IOANNES PECHAnus nationes Anglicꝰ, Cyciſtrẽſis Dioceſis, ordinis Fratrum minorũ, ſancti Bonauẽturę diſcipulus & imitator præcipuus, Theologiæ profeſſor inſignis, ſcripturam ſacrã Pariſiis atque Oxoniæ ſumma cum laude, & auditorum vtilitate magnificè enarrauit. Hic pro defenſandis fidei eccleſiæque dogmatibus, Pariſiis cum beſtiis depugnauit: deinde Oxoniæ atque Londini erroneas nouitates validè extirpauit. Poſt hæc in ꝓuincialem Miniſtrum electus, commiſſam ſibi Prouinciam ſtrenuè gubernabat, multa ad religionis augmentum ſalubriter vel diſponens vel inſtituens: ita tamen vt quę aliis obſeruãda traderet, ipſe præ omnibus opere & conuerſatione preſtaret. Nam orationibus, ieiuniis, atque vigiliis, cæteros quãquam in tam multis negotiis poſitus, ſuperabat, Specialiter autem in ieiuniis a deo ſe affligebat, vt paucis admodum diebus per vniuerſum anni circulum communibus ci-

bis vteretur. Quadragesimam namq; vnam ab Epiphania domini per continuos quadraginta dies (quam Dominus IESVS, iuxta beati Francisci verbum, suo sancto ieiunio consecrauit) in cibo quadragesimali diligentissime ieiunabat: ité & à septuagesima vsque ad sanctum Pascha domini. Hinc vero vsque ad Ascensionem, iuxta Ecclesiasticam consuetudiné, propter gaudium resurrectionis intermittebat ieiuniũ. Ab ascensione autem vsque ad Pentecosté, in præparationem aduenturi spiritus, resumebat ieiunium vsque ad festum Apostolorum Petri & Pauli, in principum Christianæ fidei reuerentiam & honorem, hoc ipsum continuans. Rursum, quadragesimam plenam, id est, totos quadraginta dies ante festum Assumptionis virginis gloriosæ quadragesimalibus item cibis ieiunabat: qua finita, mox aliam per dies quadraginta intermedios vsque ad festum beati Francisci, in honorem sancti patris adiiciebat. Post quam, dies aliquantos corpori indulgens, post modicum ad solitam redibat abstinentiæ districtionem, à festo omnium sanctorum vsque ad natiuitatem domini (iuxta fratrum minorum instituta) ita vt supra dictũ est, absq; lacticiniis ieiunás.

In adminiſtratione autem Miniſterii conſtitutus, vſque adeo ab omni non ſolum exemplo malo, ſed etiam mala ſpecie ſe voluit obſeruare, vt longa nonnunquàm & laborioſa itinera ipſe cum comitibus pedes conficeret, cum propter itineris prolixitatem ſimul & difficultatem, optimo iure & abſque omni reprehenſione iumento vti licuiſſet. Siquidem primo Miniſterii ſui anno Paduanum accedens Generale Capitulum, totum iter tam eundo quàm redeundo pedes confecit. Tandem vero fama & & ſanctitatis & eruditionis præclaræ vndique diffuſa, a ſummo Pōtifice officio ſui miniſterii renuntiare coactus, ad ſacri Palatii Lecturam euocatur. Qua profeſſione ſumma cum laude & gloria ad tempus aliquantum diligenter adminiſtrata, a ſummo Pontifice Nicolao tertio Cantuarienſem Archiepiſcopatum ſuſcipere eſt compulſus: ſicque in Angliam rediens, multa ibi quæ ad regni pacem faciebant, diligēti ſollicitudine & paſtorali authoritate compoſuit. Siquidem ante eius aduentum graues in regno exurrexerant diſſenſiones, & turbæ non minimæ: ita vt qui ante illum Cantuarienſem Eccleſiam rexerat, cogeretur à facie iræ regis, relicto Angliæ regno, ad

Romanam vrbem ac ſummi Pontificis gratiam confugere . Poſitus autem in adminiſtratione Epiſcopali vir in Dei timore fundatus,ſolita virtutum exercitia nequaquàm derelinquebat: imo vero tanto iam diligentius diuinæ ſeruituti totum ſe mancipabat,quanto ſe cognoſcebat ſubditis propoſitum in exemplum.Cum Propheta ſancto; diligebat vnice decoré domus Dei:& loca habitationis glorie eius,id eſt,ſacrata tépla omni decenti apparatu per vniuerſam ſui Epiſcopatus ditionem ſollitiſſimè decorabat. Apud Cantuariam quarto ab vrbe miliario,ad diuini officii laudes perpetuo celebrandas,Collegium clericorum inſtituit, magnificeq;(vt erat in omnibus munificétiſſimus)dotauit,Vbi ne ſe Canonici à perſonali(quod aiunt)reſidentia, vt fere fieri ſolet vbi illis fuerit collibitũ,ſubducerent, ſicq; Dei cultus,quem primũ omnium ſpectabat,malo abuſu imminueretur,ſtatutum fecit(quod in hodiernum vſq; dié inuiolabili obſeruatióe perdurat) ne abſens quiſquam exprouentibus aliquid omnino reciperet,ſed abſentis portio in communé prę ſentium vtilitatem impenderetur. Circuibat loca ſuæ cure credita,& tanq̃ paſtor bonus ſalutis verbum vbicunq; ſe oportuni-

tas offerebat, siue populo, siue clero, siue religiosis conuētibus, in virtute spiritus proponebat. Plura quoque Concilia prouincialia, propter zelum rectæ & orthodoxæ fidei, legitur celebrasse, per dies singulos primo mane, antequam vlla tractaret occupatoria negocia, Pontificalibus indumentis indutus, magna cordis preparatione, altissimum sacrificium domino offerebat: nisi causa admodū grauis obuenisset, quæ oportunitatem nullo modo concederet. Nimiis autem vigiliis, fratres suos, & clericos, atque familiam vniuersam fatigabat, Ieiunia solita, factus Archiepiscopus non relaxabat: & cum omnigenarum escarum aparatibus Pontificalis mensa frequenter abondaret, ipse sibi adpleniorem carnis edomationem, & perfecta vitæ arctioris exempla subditis demonstranda, inter epulas esurire præcipiebat: & inter plenas carnium delitias, cibos manducare insipidos seipsum, seuerus pædagogus compellebat. In sententiis autē sacræ scripturæ tam fuit versatissimus (quantum ex ipsius præclaris monumentis datur æstimare) vt totam eam vorasse potius quàm legisse videri possit. Inter cætera autem eius monumenta illud vt quantitate minimum, ita sententiarum

ſublimitate atq; dictionis maieſtate eſt dignisſimum, quod de ſacroſancta Trinitate ad ſuę fidei ſempiternã proteſtationẽ cõpoſitũ, ex Pontificis ſummi approbatione legitur & canitur ab omnibus Eccleſiis, quæ Romanæ Eccleſiæ in Canonicis horis perſoluendis vſum tenent: tam & ſi propter operis difficultatem, pleręq; inferiorũ Eccleſiarum in ſuo vſu ipſum non recipiãt. Extat & aliud eius opuſculũ, prædicatoribus verbi Dei iis qui examinata & caſta eloquia ex ſcripturarũ veritate auditoribus quærunt proponere, multo vtiliſſimum, in quo ſub certis quibuſdam locis, ſacrorũ Bibliorum ſententias, nouo artificio, & mira dexteritate ita apto digeſſit ordine, vt facile ad quãlibet materiã ex ſcripturis ſanctis multa ſibi poſſit requirẽs minimo negotio colligere, quæ ſuo negotio quodcunque tandẽ propoſuerit, vehementer cõducent. In quo opere vel ſolo, facile eſt pſpicere, q̃ ſibi familiares habuerit, & q̃ intime pſpectas ſacre ſcripturę paginas, quas ita potui miro cõpẽdio in tã ordinatã cõpoſitionem redigere, Inter cętera autẽ virtutũ eis inſignia, & hoc ad teſtimoniũ ſuę virgineę caſtitatis memorię traditũ eſt, a mulierum cõſortiis aliũ q̃ maxime abhorruiſſe: quod etiam ſi nullius

ſcriptoris firmaret aſſertio, vel ipſa operum eius ſublimitas, & altiſſimæ Theologiæ integerrima puritas ſatis clamãt. Sedit autem in Archiepiſcopatu Cantuarienſi annis 13: obiit verò anno ab incarnatione Domini 1290, vt in vita conuerſatione inſignis, ita & poſt mortem miraculis clarus.

LAVS DEO ET GLORIA.

¶ *Excudebat Mauricius Menier, chalcographus in ſuburbio D. Victoris, via noua, ad inſigne D. Petri.*

1550.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm